

1708.

1. Bachelineller, Jo. Ferdin. : De differentiis juris Magdeburgi
juri a jure civili
2. Becker, Johann Trillit : De usu virgus actionis ad pat.
nordiam
3. ¹ ~~1~~ Borden, Hermann : De abusu praesentiae ecclesiasticae
- 3 ⁶ ~~6~~ Bodinus, Hermann : De abusu praesentiae ecclesiasticae.
1741
4. Bodinus, Hermann : Dissertationem juris Deam ineng.
exhibentem constitutionem juris civ. Alm. A. status ari
Frankfurtensi circa successorem conjugum ut dotes
fatis . . . publico . . . examini sistit.
- 5 ¹ ~~1~~ Bodin, Hermann : De pacto confraternitatis Saxonicae
Brandenburgicae Harriacae . 2 Imp. 1708 = 1738
- 6 ¹ ~~1~~ Boekner, Justus Hermann : De cauta Fidei orum tole
rantia . 2 Imp. 1708 = 1741.
- 7 ¹ ~~1~~ Boekner, Justus Hermann : De prudentia legislativa
juri Theocensis in materia de successione testamentaria
2 Imp. 1708 = 1728



- 8^a = Genes, Simon Petrus: De abstinentia juris naturae
a fallacibus regulis putativi processu summari:
29 Junii. 1708 - 1740
9. Gulicke, Andreus Thomas: Specimen medicinale forem
que demonstratur partem octinastrem vitalem esse
et legitimam.
10. Ludewig, Joannes Petrus: Fura fendi vicina . . .
defendit.
11. Ludewig, Joannes Petrus: De indole fentorum uni-
versim
- 12^a = Ludewig, Jacobus Fridericus: De eo, quod iustum est
circa Campanos. 29 Junii. 1708 - 1739.
- 13^a = Ludewig, Jacobus Fridericus: De fessione personarum
noxiarum. 29 Junii 1708 - 1741.

CT. 4. num. 36. 78

E. C. D. 1906 3a

TRACTATIONEM JURIS ECCLESIASTICI,
DE

**ABUSU POE-
NITENTIAE EC-
CLESIASTICAE,**

P. All
IN FORMA DISSERTATIONIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO;
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENB, CETERA,

SVB MODERAMINE

DN. HENRICI BODEN;
REGIM. ECCLES. REGII IN DUCATU MAGDEB
CONSILIARI, AC PROF. PUBL.

*PARENTIS SUI JUGI OBSE QVIO VENERANDI,
Ad diem Mens. Mart.*

Publicae ac solenni Eruditorum disquisitioni sistit

AUTOR

Friederich Bode.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis JOANN. GRVNERI, Acad. Typogr.


Handwritten text at the top of the page, including a date and possibly a name or title.

ABBUSU POE
NITENTIE EC
CLESIASTIONE

Handwritten text in the middle section of the page.

Handwritten text in the lower middle section of the page.

Handwritten text in the lower section of the page.



Handwritten notes or numbers on the right margin of the page.



SUPREMIS FRIDERICIANÆ CURATORIBUS
VIRIS

ILLUSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS

DOMINO

DANIELI LUDOLFO

LIB. BARONI DE **DANCKELMANN**,
POTENTISS. REGIS BORUSSORUM CONSILIARIO
STATUS INTIMO; RERUM BELLICARUM COMMISSARIO
GENERALI; SUMMO CONSISTORIORUM PRÆSIDI
RELIQVA

DYNASTAE IN PRUNGEN ET ZEESEN

ATQVE

DOMINO

**MARQVARDO LUDO-
VICO APRINTZ,**

EJUSDEM REGIS CONSILIARIO STATUS INTIMO;
RERUM FEUDALIU SUPREMO RECTORI PRÆFECTO-
QVE REGALIS PALATHI ET DITIONUM SANDOVIAE ATQVE
JERICHOVIAE; ORDINIS BORUSSICI EQVITI AURATO,
CATHEDRALIS ECCLESIAE, QVAE MAGDEBURGI EST,
CAPITULARI CETERA,

DOMINIS MEIS BENIGNISSIMIS

FELICITATEM.

SUPERIORIS FRIDERICIANÆ CURATORIBUS

VIRIS

ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS

DOMINO

DANIELI LUDOLFO

LIB. BARONI DE DANCKELMANN

POTENTISS. REGIS BORUSSORUM CONSILIARIO

STATUS INTIMO: ALIUM BELICARUM COMMISSARIO

GENERALE SUMMO COMMISSARIORUM PRÆSIDI

ILLVSTRIS

DYNASTÆ IN PRUNGEN ET NERSEN

ATQVE

DOMINO

MAROVARDO LUDO-

VICO AFRINIS

ILLVSTRIS REGIS CONSILIARIO STATUS INTIMO

REGIUM FEUDALIVM SUPREMO REGTORI PRÆPECTO



Icut inter ea, in quibus provida divini Nominis cura patet, quam maxime illud referre oportet: quod literarum studia magnifice hactenus contra omnes temporum injurias conserventur non modo, sed nova subinde præsidia capiant & incrementa; Ita quoque hoc nomine illorum virtutes, quorum favore literæ caput extollunt, insigniter celebrare decet decora ingenia. VOS estis, VIRI ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTIS-

TISSIMI, DOMINI MEI GRATI SSIMI, qui æque singulari
divini numinis munere ad id nati estis, ut sapientiã Vestra, VOBIS
de cælo datã, non modo pacis ac belli publicique status negotia in-
dies lætius efflorescant: Sed & sub Vestra protectione, magnum
hoc optimarum artium emporium nova subinde supplementa acci-
piat. Cum enim VOBIS jam naturã tributum esset, ingenius ve-
ræ sapientiæ affectis favere; hujus quoque bonæ mentis sacrarii ve-
ram gerere generosã hac & maximis viris solemni virtute volueritis;
ut non VOS solum Mecænates & Fautores illorum, qui literis ope-
rantur, existere, sed Patres, sed Tutores benignissimos esse nius-
quisque intelligat. Hæc ego animo volvens, quamvis vix ultimum
inter sapientiæ alumnos locum vendicare queam, nullus tamen du-
bitavi, quin gratiosam Vestram benignitatem hoc modo & mihi polli-
ceri possim. Quando quidem ergo in hoc bonarum artium ac litera-
rum mercatu constituti, sub magnifica VESTRA, VIRI ILLU-
STRISIMI; cura degunt, citra audaciæ notam de studiis suis, &
tempore in hac ALMA FRIDERICIANA peractõ, rationis red-
dunt; nefas sane esset dubitare: num speciatim hoc qualiscunque
meæ diligentia, quod in præsentiarum ILLUSTRIBUS NOMINI-
BUS VESTRIS devota mente, & ea qua decet humili observantia
confecro jubeoque esse sacrum; hilari fronte sitis accepturi. Au-
deo hoc ipso, humillima in benignitatem VESTRAM DO-
MINI GRATIOSISSIMI fiducia, animum ac voluntatem pro
maximis a VOBIS in nostram familiam hucusque gratiosè deriva-
tis beneficiis, me quoque gratum præbendi demonstrare. Si ve-
ro in hoc, ut & in ipso Dissertationis argumento, pro exiguis viri-
bus & levisimo ingenii & scientiæ monumento sic saltem delibato,
minus recte a me gestum quid foret, pupillorum & minorennium
jure hic saltem egi, quorum facta non accedente Curatorum ad-
probatione & auctoritate invalida solent pronunciarì, ut adeo con-
tra ea, quæ VOBIS, VIRI ILLUSTRISIMI, Vestrisque
virtutibus indigna videri queat, exceptione restitutionis in inte-
gram

grum quovis tempore uti posim. Interim Deum immortalem
precor, ut VOBIS DOMINI GRATIOSISSIMI consumma-
tam, quæ in mortales cadit, felicitatem, largiatur ac meritis Vestris
quibus referendis me indignum & imparem judicavi, præmia con-
stituat amplissima & ad posteros duratura; Conservet VOS NU-
MEN BENIGNISSIMUM POTENTISSIMO AC SAPIENTIS-
SIMO REGI BORUSSORUM FRIDERICO, DOMINO NO-
STRO INDULGENTISSIMO quam diutissime; Sic fiet; ut per
diutina adhuc temporum spatia, VOS Ceu Magni Regis decus
& ornamentum, patriæque & literariæ rei præsidium pio gaudio
veneremur. Uti vero VOBIS omnigenam summam prosperita-
tem, ita & mihi Vestram, eo, quo decet, devoto animo, benigni-
tatem exopto. Halæ Magdeb. d. XVIII. Mens. Maji. Ao. S. R.
CIIIÖCCVIII.

ILLUSTRISSIMORUM NOMINUM VESTRORUM

devotus cliens.

J. Bode,



DISPUTATIO JURIDICA.
DE
ABUSU POENITENTIAE
ECCLESIASTICÆ.

INGRESSUS.



Um primi omnium parentes ^{Poenitentia}
ad innocentem mundanæ vitæ ^{ex amissa}
felicitem a Deo O. M. creati es- ^{felicitate e-}
sent, quod imagine horti in Eden ^{jusque recu-}
præfigurabatur, sub præmio æ- ^{perandi desi-}
ternæ felicitatis & immensæ cum ^{derio oritur.}
ipso creatore gloriæ fruitione i-
psis injunctum est: ne vetitæ arboris fructus com-
mestione, proprii jucundi amore, tanta status inno-
centiæ excellentia & perfectione excidere debeant;
quod typo hieroglyphico Moses docet *cap. II. Gen. II.* Post-
quam vero hi ipsi moralium primores, ad prævarica-
tionem & infelicem transgressionem hujus divini mo-
niti, per damniferam carnalis boni malive cognoscen-
di cupiditatem seducti sunt, & vidit mulier, quod bo-
num & pulchrum esset lignum & commedit de fructu
ejus

A 2

ejus & dedit viro suo, aperti sunt oculi amborum & cognoverunt se esse nudos *Gen. III, 6. 7.* Qua consecuta boni & mali ac nuditatis scientia, illos deinde pœnitentia imbutos fuisse constat *ex cap. Gen. III, 10.* Ex hac prima primi divini moniti transgressione prima & omnis orta est pœnitentia, & illa ipsa est, sine qua non, nullius unquam nos pœnitere potuisset; Erat enim tanta integritatis status consummata perfectio, ut homo valeret non peccare, cum jam post lapsum, etiamsi per baptismum regeneratus sit, peccatis se non contaminare non possit. *Vid. Disp. D. Gerbardi IX, Disp. Theol.* Propter perditam enim imaginem Dei intellectus jam difficillime verum cognoscit, voluntas raro bonum appetit, & memoria vix ad unum redigitur. Ex intellectu hallucinationes & errores sœpissime damnosissimi proveniunt; ex voluntate delicta innumerabilia oriuntur, ac fugam boni & adparenter talis concupiscentiam eadem producit; quibus tandem homo, memoria teste convictus, ad bellum intestinum, indignationem, dolorem, displicentiam & denique pœnitentiam perducitur: Ut sic uti ex pravis moribus ortæ sunt bonæ leges, ita ex memoria rei minus bene gestæ originem ducit salutaris pœnitentia; quam demum Christi Salvatoris sufficienti merito innixam, pro eluendis coram oculis Dei peccatis nostris validam esse, S. Codicis locis passim edocemur. Per veram enim tantum pœnitentiam regressus & reditus fit ad Deum, illaque ad divinam flectendam misericordiam sola operatur; quapropter *Tertullian. Lib. de pœnit. & Hieronymus in Isag. c. 2. & Ep. ad Demetriad.* eam secundam post naufragium tabulam vocarunt: quod Tertulliani dictum repetitur est in
denen

denen Reichs Abschieden *de Ao. 1548. p. 429. t. 17.* verbis:
 Daß uns die Buße sey wie das andere Brett im Schiff-
 bruch. Hæc autem pœnitentia necessaria interna est ^{*Est hac pœnitentia*}
 & sola secreta coram Deo peccatorum confessione & ^{*scilicet in inter-*}
 deprecatione absolvitur; quo sensu de illa loquuntur lo-
 ci S. Scripturæ *Math. III. v. 2. & 4. v. 17. Luc. III. v. 3. Act. Cuius incul-*
II. v. 38. ejusdemque inculcatio & ad eandem adhorta- ^{*catio ad Mi-*}
 tio proprie ad Ecclesiæ Ministros pertinet. Præter ^{*nistros Eccle-*}
 hanc vero pœnitentiam internam, cum Ecclesiæ mori- ^{*sie pertinet.*}
 bus in multis delictis etiam externa exigatur, ac illius
 indictio ad ipsam ecclesiam externam ejusque visibile
 caput pertinere dicatur, & Jurisprudentiæ cultor, ^{*te-Aqua differet*}
 ste imperatore, non tantum humanarum sed & divina- ^{*externa, ad*}
 rum rerum notitiam habere debeat; hinc pœnitentiæ ^{*forum juris*}
 externæ seu ecclesiasticæ accuratam considerationem ^{*dicum spe-*}
 quam maxime ad forum juridicum referri debere nul- ^{*ctans.*}
 lum est dubium. Talis vero Consideratio uti necessa-
 ria est, & ob argumenti præstantiam utilissima, ita etiam
 ob veteris & novæ Ecclesiæ institutorum notitiam,
 quam requirere videtur, difficillima.

Quicquid tamen horum sit; mihi de materia dis- ^{*Scopus Dis-*}
 putationis juridicæ cogitanti, quam maxime se com- ^{*serationis.*}
 mendavit hæc *de pœnitentia Ecclesiastica* tractatio. Et
 quamvis fatendum mihi sit, non paucos ante me de hoc
 argumento utilia multa congestisse, inter quos præci-
 pua forte operam præstavit Vir Prænob. Dn Knor-
 rius *in proluxa Disp. de hac materia habita Jena. Ao. 1685.* sub
 Præsidio consummatis s. J. Cti Dn. P. Mulleri; nullatenus
 tamen existimandum est, crambem nos hic recoquere
 velliada post Homerum exhibere, non enim circa
 generalia hujus materiæ capita erimus occupati, quæ
 A 3 notis-

notissima sunt, sed animus est, juxta tenorem exhibiti rubri, DE ABUSU POENITENTIAE ECCLESIASTICAE potissimum agere; Ubi conabimur demonstrare: quod poenitentia ecclesiastica hodierna diversa admodum sit ab antiqua ac erroribus scateat quam plurimis; quod studium veritatis deperiunt, pro libertate academica, nullis argumentorum aliorum vel auctoritatum praëjudiciis detenti, in praesentiarum occipiemus & Lectori bono offerremus.

Quandoquidem vero *juxta Nov. 6. pr.* tum demum universa bene geruntur & competenter, si principium fiat decens & amabile Deo: ideo calidas ad summum & sanctissimum Numen preces nuncupamus, ut in hoc arduo negotio, intellectum nostrum ad verum, voluntatem ad bonum & utile, & memoriam ad unum, quod est ipsius honos & gloria, redigere, ac mentem & calamum ita gubernare velit, ne nos infituti hujus & poenitentiae nostrae unquam poeniteat: Sit ergo laboris hujus nostri auctor ipse Deus, secundum monitum Accuratiss. Scaligeri *Exerc. 359, Sect. 1.* aureo caractere dignum.

SINE OMNIS BONI ORDINIS AUCTORE, HAEC NOSTRA
IN STUDIIS PEREGRINATIO; MISERABILIS
QUAEDAM ERRATIO EST.

Dis-

I. N. D. N. S.
DISSERTATIONIS

DE
ABUSU POENITENTIÆ ECCLESIA-
STICÆ
Thesis, I.

Recptus & non improbandus illorum mos est, qui materiam artis, maxime illustrioris, proposituri, verborum priorem curam habent, & sollicite ipsa eorundem natalia inquirunt, ac significationes proprias meditantur; In hisce enim quicumque vel leviter aberraverit, in ipsistquoque rebus & negotiis designatis errorem haud ægre conceperit, *teste Calvino in Dedic. Lex. Iur. præm.* quod ipse etiam imperator perpendens, ut convenientem formularum quarumvis, in materiis juris Rom. occurrentium, interpretationem ac enodationem solidam exhiberet; totum titulum de Verborum Significationibus Digestis suis subjecit; quem & nos imitantes, Dissertationi huic vocum in rubro exhibitarum etymologiam jure meritoque præmittimus. Varias autem a variis Scriptoribus vox poenitentia^a fontes sortita est & de rivationes, quarum non nullas primum hic adducemus, deinde & nostram, quam convenientiorem judicamus, exhibebimus. Antiquiores vocabulum poenitentia^a derivarunt a *pene* & *penuria*, ut poenitere idem sit, quod *indigere solamine* *A. Gell. Lib. 17. Noct. Attic. cap. 1.* quo sensu Apulejum in *Apolog.* juvenem neque corpore, neque animo, neque forma poenitendum dixisse notat *Scip. Gentil. ad d. Apol. n. 92.* Alii poenitentia^a etymon petitum esse volunt a *pæna*, quasi sit *pæna tenentia*, quæ designat animi dolorem, vel pas-

*Etymologia
vocis poenitentia.*

tionem quandam cum dolore & tædio conjunctam, cum
 pœnitentes semper in se puniant ulciscendo, quod peccan-
 do commiserunt; quam derivationem *primus suppeditavit*
Sententiarum Magister L. 4. dist. 14. lit. A. quem hinc inde
 secutus est *Bellarminus L. 1. de pœnit. c. 7.* Hoc sensu pœ-
 nitentiam quoque a Canonistis sumtam esse, non solum ideo
 præsumendum, quod in Decreto *tit. de pœnitentia* de mul-
 torum delictorum coercionibus & pœnis agatur, sed in-
 super constat ex *c. 1. 4. 6. de pœnit. dist. 3. c. ecce nunc dist.*
1. tit. de pœnit. c. quem pœnitet ead. dist. & tit. c. Judas seqq.
dist. 3. c. de pœnit. & tot. tit. X. de pœnit. & remiss. Confer.
M. Navarr. Azpilcuet. in manual. confess. præl. 10. apud Henr.
Canis. ad Decretal. b. l. Addatur etiam elegantissimus locus a-
 pud *Chrysostomum in Psal. 4. & in Catena in cap. 1. Iob. p. 9.*
 Alii denique cum *Erasmio Roterodamo ad 2. Cor. cap. 7.* ad
 sensum potius, quam criticam vocis resolutionem respicien-
 tes, pœnitentiam dicunt animi, vel voluntatis aut propositi
 cujusvis mutationem, quasi pœnitentiæ vocabulum compo-
 situm fuerit a *pœne* & *tenere* h, e. seposito priori tenere po-
 steriori, & consilio uno repudiato aliud eligere; cui notioni
 & nos calculum addimus, illam primam ac potissimam inter
 ceteras omnes æstimantes, illique respondet interpretatio
 vocis pœnitere ab *A. Gell. l. all. suppeditata*; *pœnitere*, ait,
dicimur, cum que ipsi fecimus, aut qua de nostra voluntate
nostroque consilio facta sunt, ea nobis post displicere incipiunt,
sententiamque in iis nostram demutamus &c. quibus addi
 potest elegans dictum apud *Ciceronem in Orat. XII. ad Philipp.*
quodsi, inquit, est erratum, redeamus in viam; optimus enim por-
tus est pœnitenti mutatio consilii. Insuper hoc etymon conve-
 niens est appellationibus græcis *μετ ἀνοίας μετ ἀμείλοιας*; Nam
 vi præpositionis *μετα* post, *μετανοειν* est post cogitare, seu se-
 cun-

cundo cogitare. Sic in *questionibus*, quas Athanasio adscribere solent, *qu. 153. de Parabol. Tom. 2. p. m. 43.* hæc verba, quæ ibidem græca sunt, habentur: *Resipiscentia non est genus flexio, sed abstinentia a malo.* Et paulo post; *Hinc dicta est peritiosa, quia mentem a malo ad bonum transfert.* Et elegans est locus *Chrysostomi Homil. 23. in Job. t. 2. p. 694.* qui in latium versus ita habet: *Resipiscentia seu poenitentia est, eadem non amplius patrare, qui enim eadem adgreditur, similis est cani ad vomitum suum redeunti.* Hunc sensum poenitentia etiam invenies in *l. 24. §. 4. loc. cond. l. 41. de minor. l. 25. §. penult. de acquir. hered. l. 2. 3. 4. C. de revoc. donat.* Cum itaque poenitentia vocabulum, tam quoad græcam, quam latinam resolutionem & derivationem nil aliud, quam *animi mutationem* indiget, inter viros doctissimos quæstio ventilata est: an semper in bono, an vero etiam in malo sensu illud recte usurpetur? quam quæstionem, quasi a Sphæra hic nostra aberrantem, in excussum relinquimus: quamvis inficias iri haud possit, apud patres ecclesiæ non semper illud de vera resipiscentia dictum reperiri; cujus exemplum est apud Chrysostomum *Homil. 88. pag. 513. Conf. Sicer. Libr. Sing. Sacrar. Observ. cap. 1. de poenit. p. 6. seqq.* Sic etiam in Jure Canonico Judas & Esau poenituisse dicuntur *c. Judas & seqq. dist. 3. r. de poenit.* quamvis horum poenitentia tantum in metu imminentis mali, substituerit, vera in Deum fiducia & Spiritus S. necessario dono destituta, atque hinc ad flectendam Div. Numinis misericordiam invalida prorsus & inefficax fuerit. Cujusmodi vero acceptio nihilominus extraordinaria manet.

Thes. II.

Alterum vocabulum, quod in rubro se exhibet, est vocabulum *ecclesiastici*; cujus etymon inquirentes, videmus illud à primitiva voce *Ecclesia*, descendere.

B

Quid

Quid vero per ecclesiam intelligatur & in quonam, juxta re-
 purgata religionis nostrae principia, hujus vocis conceptus
 verus & genuinus consistat? in tam diversas partes abeunt
 Dd. Theologi & Icti tam veteres, quam recentiores qui-
 dam in Commentariis juris Ecclesiastici, ut mirum non ha-
 beam, tantos hinc lapsus ac naevos in explicatione ac indaga-
 tione ipsius juris Ecclesiastici provenisse. Non est hic loci
 diffuse circa notionem vocabuli Ecclesiae disputare, remit-
 tentes illum, qui de hoc argumento plura, quam adducenda
 erunt, legere desiderat, ad Brunnemanni ejusque Commen-
 tatoris Ill. Strykii, Carpzovii, Schilteri, Fritschii, & nostri Dn.
 Boehmeri praestitos in interpretatione juris Ecclesiastici uti-
 lissimos labores. Nos per *Ecclesiam*, in sensu proprio, ni-
 hil aliud intelligimus, quam *caetum vel congregationem, non
 qualemcunque, sed conciliatam in unam societatem commu-
 nationemque fidei & Sacramentorum.* Favet huic Ecclesiae vo-
 cabuli notioni ac definitioni vox graeca *ἐκκλησία*, per quam
 graeci intelligebant piorum ac religionem suam coelentium
 exercentiumve conventum; etsi in sensu latiori, quamvis
 etiam populi congregationem, negotiorum Reip. tractan-
 dorum audiendorumque causa institutam, denotaverit.
 Calv. in *Lex. jur. in b. voc.* quae tamen in rebus arduis non
 nisi in templis Diis dicatis instituebantur, uti apud Romanos
 in templo Jovis calata comitia, Cum vero etiam ad divini Nu-
 minis cultum congregatae societates certa sibi in hunc usum
 loca eligerent, & ne tempestates subire habeant, aedificiis
 ad illum finem uterentur, secus ac primitus moris fuit in
 speluncis & terrae laticulis, in montibus, in montibus &
 sub dio sacra colere *Gen. 6. 21. v. 33.* quod de antiquis etiam
 Germanis testatur Tacitus *de mor. Germ.* hinc factum, ut et-
 iam ejusmodi locis seu aedificiis ecclesiae, & apud graecos

*Definitio Ec-
 clesiae.*

*Occasio qua
 etiam aede-
 ficiis ecclesiae
 nomen tribu-*

ἐκκλησία



ἐκκλησίας nomen tributum reperitur Petr. Greg. Tholo-
 san. in *Syntagm. jur. univ. L. 11. c. 1.* quod etiam factum est
 in Decretis Canonicis *cap. de fabrica ecclesie & can. in ec-*
cles. de Consecrat. Dist. 1. & passim & in Titulo C. de *eis qui*
ad Eccles. conf. Hujusmodi vero Ecclesie vocis significa-
 tus, nullatenus proprius sed abusivus est, & illa externa æ-
 dium divino cultui dicatarum forma & structura merito no-
 bis *Templi* tantum nomine venit, nullam ei, qua tali, eccle-
 sie sanctitatem contra Osiandrum ad Grotium *pag. 1418. templa vo-*
 cum] Puffendorffio *L. 1. 16.* tribuentibus, nisi sanctitatem *canitur.*
 hic accipere velis pro eo, de cujus inviolabilitate lex sancita
 est, quo sensu etiam ejusmodi publica ædificia quandoque
 jura asyloꝝ habere ac ades misericordie dici possunt, qua-
 rum mentionem facit Ulp. *in l. 17. §. 12. ff. de adil. Ed. & de*
quibus videri possunt: Seldenus de asyloꝝ Hebræorum Lib. 4.
cap. 2. Tacitus de asyloꝝ Romanorum Annal. III. 60. & IV. 14.
 Georg. Rittershusius *de asyloꝝ.* Quod attinet ad genuinum *Ecclesia est*
 vocabuli Ecclesie conceptum, quem diximus; ille tantum *vel visibilis*
 stricte intelligendus est, de *Ecclesia particulari & visibili, i-*
 sta ut vel trium congregatio ad communionem fidei & Sacra-
 mentorum hujus nomen mereatur; secundum effatum i-
 psius Christi *Matth. 18. 20.* nectamen ut ad hunc vel illum
 locum alligata sit requiratur; in quo saltem fundata est di-
 stinctio inter *Ecclesiam publicam seu ordinariam,* quæ aucto-
 ritate publica, & *extraordinariam seu privatam,* quæ quo-
 rundam saltem privato consensu instituitur. Alius & lon-
 ge excellentior vocabuli ecclesie sensus passim in S. Scri-
 ptura occurrit, ut *Matth. 16. v. 18. Ich sage dir/ du bist Pe-*
trus/ und auf diesen Felsen will ich bauen meine Gemeine/
und die Pforten der Hölle sollen sie nicht überwältigen.
2. Cor. 6. v. 16. ubi Paulus Apost. ita: Ihr seyd der Tempel
des

des lebendigen Gottes; wie denn Gott spricht: Ich will in ihnen wohnen und in ihnen wandeln/ und will ihr Gott seyn und sie sollen mein Volk seyn. 1. *Timoth. 3, 15.* Das Haus Gottes/ ist die Gemeine des lebendigen Gottes/ ein Pfeiler und Grundveste der Wahrheit. & 2. *Timoth. 2, 19.* Der feste Grund Gottes bestehet/ und hat den Siegel: Der Herr kennet die seinen. item 1. *Cor. 3, v. 16. 17.* Wisset ihr nicht/ daß ihr Gottes Kinder seyd/ und der Geist Gottes in euch wohnet. So jemand den Tempel Gottes verderbet/ den wird Gott verderben/ denn der Tempel Gottes ist heilig/ der seyd ihr: Quibus S.

*vel invisibilis
& univer-
salis.*

tionibus Ecclesia universalis denotatur, quo omnia Deum sincere colentium multitudo complectitur, per totum fere terrarum orbem dilata. In qua fidelium multitudine, ceu membris veris veri unius pastoris & Ecclesiae, ex communi participatione divinae gratiae, etiam quaedam communio est, non sacramentorum, sed mystica, invisibilis & Spiritualis; quapropter & ipsa haec universalis Ecclesia hisce nominibus determinatur, quo sensu huc pertinent dicta 2. Thess. 2, 4. & Ephes. 5. in quibus templum & sponsa Dei eadem vocatur; quam descriptionem ecclesiae universalis per ipsum quoque fidei nostrae articulum tertium profiteremur. Haec mystica seu Spiritualis Ecclesia nunquam deficere potest & semper vera est, licet hic, vel illic quandoque deficiant, ac hypocriticae sint particulae, ad divini nominis cultum, congregatae societates seu Ecclesiae arg. ipsius verbi divini ad Eliam Prophetam 1. Reg. 19, 18. Confer. Marc. Ant. de Dominis de Rep. Eccles. L. 9. c. 6. §. 10. seqq. & de illa, non de ecclesia visibilis universali quam statuunt Pontificii, nos autem non agnoscimus, valet tritum illud: Sicut unica saltem est catholica fides, sic etiam una duntaxat ecclesia catholica esse potest;

*Non datur
Ecclesia uni-
versalis visi-
bilis.*

est; siquidem unitatem hanc ecclesie Spiritualis & mystica non dissolvunt rituum, vel ceremoniarum visibillum Ecclesiarum dissonantia; quo sensu recte Nostrates Theologi cum formula Concordiae art. 10. loquuntur: *dissonantia jejunii non dissolvit consonantiam fidei*. Quod vero dissonantes etiam in ipsis articulis fidei confessiones, quae abusive religionum nomine veniunt, attinet, quarum causa diversis nominibus audit Ecclesia Christiana, Pontificiorum videlicet, Lutheranorum ac Reformatorum; de iis non prodest aliquid hic determinare, sed sufficit illas omnes per *transactionem Passaviensem de Ao. 1552. & insecutam Anno. 1555. Pacem Religiosam* adprobatas, ac singulis particularis Ecclesiae nomen concessum esse. Sed praeter votum, quamvis non praeter spem, in etymologia vocis Ecclesiae prolixi fuimus, ut ergo quae restant, brevissimis includamus; illud quod in ejusmodi coetu fidelium congregato, ceu in Ecclesia fit, agitur, praecipitur, vel castigatur seu punitur, jure an injuria? infra disquiremus, per ritus certos & solennes, hoc ipsum vocatur *Ecclesiasticum*; quo nomine dicitur ministerium Ecclesiasticum, hymnus ecclesiasticus, cultus ecclesiasticus, disciplina ecclesiastica &c. cujus ultimi generis speciem constituit *Penitentia Ecclesiastica*, de qua in hac Dissertatione.

Quid proprie ecclesiasticum dicitur?

Thes. III.

Tertium & ultimum rubri Dissertationis nostrae *Resolutio* vocabulum, de cujus significato nos denique sollicitos esse oportet, est vocabulum *abusus*, quod contrarium seu oppositum est vocis *usus*, & recte a verbo *uti*, & praepositione *ab*, quae negationem, quamvis hic non mere contradictoriam involvit, derivatur. Possent paucissima eadem haec ad verum hujus haud difficilis, ac notissimi si-

*Deus omnia
optima fecit.*

*Abusus rerum
ab hominibus de-
pendet.*

Abusus praes-

gnificatus vocabuli intellectum sufficere, nisi ad scopum totius dissertationis praesentis magis perspicuum exhibendum faciat magnopere, ut sensum nostrum uberius de eo exponamus. Et primo quidem cum nihil a Deo, nisi quod sua natura optimum sit, creatum esse doceant conclusiones cujusvis creationis operis *Gen. cap. 1.* sequatur oportet; omnium rerum, etiam earum, quae vel vilissimae, vel prorsus inutiles nostris oculis adparent, suum eundemque maximum usum esse, juxta naturam earum; quapropter si homo cum natura naturata in eadem perfectione persistisset, ac status integritatis excellentiam retinisset, eo magis hoc fuisset adsecutus, nihil ab iis, quod creatum est a Deo O. M. inutile, vel vile dici posse, idemque sane, cum omni totius hujus machinae harmonia, ad nullius rei malum inclinasset usum: Exinde quicquid abusus in mundo est, hoc omne hominis depravato per lapsum protoplastorum intellectui & voluntati originem acceptum refert, rebus, quae contra naturam earundem utuntur, seu abutuntur, instrumentum ejusdem duntaxat existentibus, ita ut per hunc solummodo factum, quod jam totus fere mundus abusus sit; Quo magis autem haec vera sunt, eo majori igitur desiderio & industria id agere debemus, in hac nostri deploranda status depravatione, ut simplicem omnium a Deo factorum bonitatem magis magisque experiamur; ex eoque usum & abusum rerum, annuente nobis divina gratia caligineque subducta, iterum ab invicem secernere queamus, cujus lydi instar, ut ajunt, lapidis gloria sola ac amor Dei esse debet, ut quicquid huic contrarietur, hoc omne demum inutile sit. Hinc vero, cum optima omnia esse nobis constet, si recte iis & ut decet utamur, facile cuivis jam patet, abusum plane non praesupponere, rem ipsam, in qua committitur;

titur; vitio laborare, vel improbandam esse, sed potius id ^{supponit u-}
 saltem notare, quod circa illam rem non recte, sed ^{sum, non ex-}
 ram & contra naturam ejus versemur, quod innumeris ^{eludit illum.}
 modis fieri posse nemo dubitat, nominatim: vel tempore,
 vel loco, vel modo ipso: Adabusum ratione temporis spe-
 ctat dictum *Salomonis Eccles. cap. 3.* hujus exempli loco sunt
 opera in diebus Sabbathi prohibita; ratione loci: si in
 templo & inter cultum divinum forensia & eo non perti-
 nentia negotia alia tractemus; ratione modi autem indies
 abusus habes conspicuos, & exempla, ubi quamvis res & in-
 tentio optima sit, in modo nihilominus erratur, innume-
 ra sunt; quod etiam in theologicis rebus ac sua natura fan-
 ctis uti sunt preces & sacramenta ipsa non aliter se habet.
 Ac hi ipsi, circa modum committunt ^{Occasus &}
 qui primam ad hanc, de abusu poenitentiae Ecclesiasticae ^{scopus rarius}
 tractationem ansam dederunt; ita, ut quidem poeniten- ^{dissertationis}
 tiam hanc in se spectatam, tanquam bonam omnino & sa-
 lutarem ac Reip. Christianae satis convenientem ac profi-
 cuam, omni laude extollamus, ejus vero modum & ratio-
 nem, quae plerumque est, non tolerandam esse, ac a prima
 ejus sancta institutione & fine hactenus fere in totum ab-
 horrere demonstrare nobis proposuerimus. Quod vero ad ^{Etymologia}
 vocabulum ipsum *abusus* specialius attinet, illud, uti vox u- ^{vocabulo-}
 sus, variis significationibus ac aequi vocationibus est obno- ^{rum usus &}
 xium, & ejusdem rei plures possunt esse usus & abusus; ac ^{abusus.}
 sicut differunt actiones morales ab actionibus mere physici-
 cis, & illarum iterum virtuosa a vitiosis, sic quoque voca-
 buli usus & abusus notio diversimoda enascitur, sed res haec
 per se expedita est, nec indiget ulteriori indagatione. Por-
 ro notandum, alias & diversas vocabulum usus & abusus ac-
 ceptiones, sortitum esse apud ICtos & Scholasticos, seu
 Gram-

Grammaticos, quamvis, ratione posterioris, illa fere coincidunt. Usus ICTis vocatur species servitutis personalis, ac oppositum est usufructus, indeque dicitur minus in usu quam in usufructu esse *l. 2. l. 10. § 14. de usu & hab.* Abusus vero proprie ipsis est rei, in alium quam in quem illa comparata vel data est usum; sic usufructu abuti dicitur, qui causam rei immutat, *l. 19. § 39. §. 1. ff. de usufr.* Vid. Brisson. in *Lex. jur. sub voc. abuti*; alias sapius ICTis vocabuli abusus cum Scholasticis communis notio est, quando scilicet ipsis abusus significat consumptionem rei per usum *l. 2. §. 2. ff. de jurej. l. 1. § 5. ff. de usufr. ear. rer. que usufr. conf.* Usum autem Scholastici proprie dicunt rei non consumptibilis; Ubi sic Boetius: *utimur iis rebus, que nobis utentibus permanent; abutimur iis que nobis utentibus pereunt*; Verum hac omnia ad scopum Dissertationis non profunt aut pertinent, ubi vocabulum abusus sumimus in sensu morali, quod germanice exprimitur per vocem: *Missbrauch* oder *wiedriger Gebrauch*; quodque græcis est *κατάχρησις*.

*Equivocatio
vocis poenitentia.*

Thes. IV.

Suppeditata generali rubri vocabuli etymologia, & poenitentia notione, & multifaria grammatica acceptione excessa, nunc ad illud progredimur, quod ad idem argumentum spectat: vocabulum videlicet poenitentia aliter a Theologis, aliter a ICTis, & aliter denique ab Ethicis seu Moralistis usurpari. Sunt vero horum acceptiones singulares & definitivæ, quarum quisque sibi quandam propriam vendicat. Theologi poenitentiam describunt; quod sit contritio cordis, ex agnitione peccatorum suborta, cum proposita ad Deum & omne bonum conversione conjuncta; per quam, subinde ut *Lutherus* docet *Catechism.*

Maj.

Maj. de baptism. §. antep. regressus & reditus fit ad baptismum, seu primum hominis cum Deo initum foedus; cuius notas características, quas constituunt, vide apud Casandr. in Consult. art. 12. de poenit. & satisf. & plenius apud D. Hornejum Comp. theol. de poenit. lapsor. §. 54. seqq. (ubi in specie attendenda est nota altera) & apud Dd. Theol. passim. ad quam poenitentiam maxime propriam & salutarem referunt dicta: Deutr. c. 30. v. 2. 3. 2. Chron. c. 6. v. 19. c. 30. v. 9. 19. Ps. 106. v. 44. seqq. Jerem. 3. v. 12. 13. c. 4. v. 3. c. 17. v. 10. seqq. Sir. 18. v. 1. Matth. 3. v. 8. Marc. 1. v. 15. Luc. 3. v. 3. 8. c. 5. v. 32. c. 24. v. 47. Act. 2. v. 38. 2. Petr. 3. v. 9. Apoc. 2. v. 5. De hac vera interna poenitentia, qua tali, in Diss. pref. non agemus, sed saltem, quatenus illa per externum actum in Ecclesia demonstrari debeat, & quomodo hic peccetur, ostendere animus est.

Alio modo poenitentiam considerant Ictri; per eandemque designant efficacem actus, aut negotii, seu facti vel voluntatis cuiusvis, circa jus versantis retractationem, vel ex nuda voluntatis immutatione ac gestu displicentia tantum, vel ex sola juris permissione, vel ex mutatione variarum causarum oriundam: Illam poenitentiam, qua actus de jure subsistens, ex solo agentis dissenso & nuda displicentia, absque ullius causae necessaria allegatione, re vocatur, observare licet in donationibus mortis causa §. 1. I. de donat. l. 30. ff. de mort. caus. donat. in fideicommissis l. 18. ff. de Legat. 3. l. 27. C. de fideicommiss. in legatis, quae nuda per poenitentiam voluntate adimuntur l. 3. §. fin. l. 4. de adim. vel transf. leg. l. 17. C. de Legat. & in omnibus iis, quae ad materiam ultimarum voluntatum pertinent, secundum tritum illud: voluntas hominis est ambulatoria usque ad mortem. Confer. Simon de Pratis de interpr. ult. vol. In mandatis

Quid Ictri
est poenitentia?

elatis, quamdiu res adhuc est integra; & in societatibus, si quis iusto tempore poenitentiam declarat. *Alteram poenitentiam* quam permittente jure fieri dicimus, conspicuam habes in materia restitutionis in integrum ex eapite minorrennitatis *l. 9. §. 4. ff. de jurej. l. 3. §. 5. C. de in integr. rest. l. ult. C. si adv. donat.* in pactis nudis & contractibus inno- minatis, quamdiu ab altera parte implementum non est se- cutum *per vulgata*; quando autem diximus, hanc poeni- tentiam ex permissione juris descendere, id idem dictum esse volumus, quam quod jus coactricem hic non tri- buat, sed recedendi a negotio externam impunitatem ut loquitur Grotius *de j. B. & P. L. 2. c. 12. n. 3.* Confer, hic Cypr. Regner. *de injust. quar. ll. rom. cap. 2. pag. 20.* & in contrariam opinionem Jac. Mæstert. *de justitia LL. rom. L. 1. Dubit. 37. 39.* & Lud. Molin. *Tr. 2. Disp. 258. n. 9.* ambo refutati ab Excell. D. Hahnio *Obs. ad Wesemb. tit. de preser. verb. n. 1.* in omni etiam promissione ante acceptationem locum habet hæc poenitentia, quia acceptatione hæcenus deficiente, jus nondum est in alterum translatum *arg. l. 55. ff. de O. & A. Add. Grotius de j. B. & P. L. 2. c. 11. n. 16.* Jac. Gvtierrez *Canon. quest. c. 5.* in multis denique juris nego- tiis locum sibi vendicat hæc poenitentia, quæ sigillatim re- censere, *ad Disp. pres.* non pertinet. *Ultima poenitentia,* quæ ex causarum immutatione oritur, conspicua est in re- stitutionibus in integrum ex generali clausula, inque con- tractibus & aliis innumerabilibus negotiis admittitur; Hæc vero tam diffusum per omnes textus juris argumentum continet, ut peculiarem disquisitionem omnino mereat- ur, quam nos, varias saltem vocabuli poenitentia acce- ptiones & differentias exhibentes, merito a scopo alienam judicamus.

Ultima

Ultima vocabuli poenitentiae acceptio Moralistarum *Quid Moralistarum?*
 seu Ethicorum est, qui per poenitentiam intelligunt virtutem
 moralem, quae ex factis fini ethices summo bono con-
 trariis, quae non perpetrasse nostra interesse agnoscimus,
 suboritur; quae ea agere intendimus, quae ad consequen-
 dam summam in hoc mundo felicitatem idonea sunt. Haec
 poenitentia originem suam refert intellectui & voluntati,
 cui si quid non salutare videtur, bonum adparet hoc amo-
 liri adeoque illud averfatur; sicque transit a praesentia mali
 ad consecutionem boni absentis, seu, ut philosophi loqui a-
 mant, a termino a quo ad terminum ad quem Vid. Excell.
 Dn. Buddaeus in *Elem. philos. pract. th. § 2. § 133.* & Rever. Re-
 chenberg. *Lineam. phil. civ. P. 1. c. 4. qui poenitentiam inter-*
fectus refert. Ex his vero unusquisque intelligit, hanc e-
 thicam seu moralem respicientiam, tanquam ad animam
 qua talem & aeternitati recte conservandam prorsus non
 pertinentem, a scopo hic nostro aequae alienam esse.

Thes. V.

Cum omnes quae hactenus adductae ac excussae sunt
 poenitentiae vocabuli & nominales seu verbales, & reales ac-
 ceptiones ac definitiones, ad scopum nostrum, & finem pri-
 marium Dissertationis non pertineant, sed saltem ad illu-
 strationem aliquam generalem in hac materia faciant, re-
 stat hactenus, ut de ipsa nunc poenitentia agamus, quae est
poenitentia Ecclesiastica seu canonica: Fundamentum autem
 ac originem rei negligentes, ac de antiquitate ejusdem, ini-
 tiisque & progressu non solliciti, ad praestandam circa ean-
 dem juris investigationem nimis impraeparati, ac illotis, ut
 ajunt, manibus veniunt. Cum itaque nullus homo post infe-
 licem protoplastorum lapsum ac inde derivatam in nos *Fundamen-*
 C 2 *tum & origi-*
 origi-

*poenitentia
internae est
fiducia in
misericor-
diam Dei.*

originariam labem, a peccandi pruritu alienus esse, nec quisquam, nisi novus Adamus *ὁ καινός*, dari poterat, qui non peccet, vel ignoranter in dogmate & sententia aliqua amplectenda, aut qualitate eligenda, quæ non eligenda est, vel ob iræ, ambitionis, ac voluptatis aliorumque affectuum vehementiam & prædominationem; juxta illud Pauli *ad Rom. 7. v. 18.* Vid. Rabbi Mos, Majemonid. *Doctor Perplexorum P. 3. c. 36. in fin.* manifestum est, nisi homo, uti vere est, credidisset, nullum ipsi præter veram poenitentiam Christi Salvatoris merito innixam *Luc. 4. 18. 1. Thimot. 1. 15.* remedium superesse, peccata coram facie Dei abluendi, ac ad meliorem frugem majoremque per assistentiam divini spiritus perfectionem redeundi, nullam quoque spem superfuisse, ut miser homo vel unquam correxerit labem suam, aut a peccatis lubens abstinuerit: Quam ob causam verum veræ & sinceræ poenitentiae internæ fundamentum & origo est, filialis illa ergo bonum Deum nostrum ejusq; veracissimum verbum fiducia, per donum Spiritus S. qualificata; Deum non velle ullum peccatorem poenitentem perire, sed ut omnes revertantur ac vivant. *Ezech. 18. v. 23. cap. 33. v. 11. 2. Petr. c. 3. v. 9. & passim.* Add. Carpozov. *Jurispr. Consist. L. 2. tit. 17. def. 261.* Quæ poenitentia perpetua esse debet, h. e. per totam hominis vitam peragenda.

*Fundamen-
tum poeni-
tentie eccle-
siastica non
est potestas
clavium.
Sed argu-
mentum all.
dicti.*

Quod vero sigillatim ad poenitentiam externam, vel sic dictam ecclesiasticam & canonicam spectat, primævum illius fundamentum, non ex concessa a Christo Apostolis potestate clavium, quæ hodie nulla est, de qua infr. sed potius ex argumento illius dicti Salvatoris *Matth. 5. 16. seqq.* repetendum esse existimarem, si quidem ubi primis Christianorum temporibus, in plantanda primum ecclesia, quam maxime necessarium erat, ut qui vitæ impurius studebant,

bant, vel ethnicorum idolis propter gravissimas persecu-
tiones litaverant, ad vere fidelium societatem communi-
onemque externam non admitterentur, donec de acta pœ-
nitentia ex fructibus ipsorum constet, ad quod obtinen-
dum omnino publica pœnitentia opus fuisse satis, opinor,
liquet: Cum enim Deus O. M. mediatam sui Evangelii ac
veritatis propagationem volebat: magnum in eo hujus vo-
luntatis momentum vertebatur, ne lapis in summo angu-
lo positus, lapis offensionis evadat *1. Petr. 2, 7.* & Christia-
norum ac veritatis Dei diris persecutoribus omnis excusa-
tio impietatis absunderetur, illive, ex fructu fidelium, ad
eamdem veritatis cognitionem ac laudem Domini perve-
niant & invitentur *Matth. 5. v. 16.* Et sane hoc verum pu-
blicæ pœnitentiæ, quamvis non proximum (quod est ipsa
Christi & Apostolorum institutio, a cœtu fidelium execu-
ta, & forte ex dicto *1. Cor. 11. v. 29.* quod etiam fundamen-
tum huic pœnitentiæ constituere potuit, fuit, ut infra ad-
parebit,) fundamentum fuisse, magna est præsumptio: uti-
nam ejusdem hodiernis malitiæ temporibus in suo simili i-
dem! & eadem plantatæ, ut ajunt, Ecclesiæ puritas ac mun-
dities esset, quæ in plantanda Ecclesia conspicua fuit.

Thes. VI.

Huic a nobis suppeditato generali pœnitentiæ funda-
mento ac origini, non inconvenienter & alia quædam ad-
jungere ac substernere possumus, quæ habent Dd. vulgo, *ment a vul-*
quarum quædam non inelegantia, nec prorsus improban-
garia Dd.
da, quædam autem nimis remota sunt, Primum, quod fa-
ciunt, pœnitentiæ publicæ fundamentum, est ipsum S. ver-
bum Dei veteris Testamenti, a Christo & Apostolis in N.
T. passim repetitum; ubi primo loco adducitur exclusio
primorum parentum e paradiso *Gen. 3. v. 23.* ut scilicet ad

novum in Christo iterum recuperandum paradysum non aliter, quam per pœnitentiam, adspirare possint, quamvis hæc rectius de pœnitentia interna, coram solo Deo peragenda, intelligantur, plura de hoc fundamento vid. apud Carpzov. *jurispr. Consist. L. 3. tit. 7. def. 82. n. 4.* Deinde hic refertur *Lev. cap. 19. v. 20. 21.* ubi præter secularem pœnam suscipiendam Deus præcipit, ut peccator, ibi adductus, arietem pro expiatione delicti ipsi offerre & sic peccatis demum liberari debeat, quod typus saltem fuit pœnitentiæ, per Christi meritum, a Deo impetrandæ. Catechizandum illa, quæ ex V. T. de sacrificiis publicis pro peccatis exhibendis, tanquam analogiam quandam habentibus cum pœnitentiæ publicæ subeundis operibus, a nonnullis adducuntur, hic non admittimus: sacrificia enim ejusmodi, quæ pro peccatis offerebantur, non fiebant, nisi ad emundationem carnis, vel in peccatis contra ceremonias, aut ex ignorantia commissis, quod adparet *Lev. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 14. 16. Num. 5. & 15. Num. 6. & 28. 29. & 2. paral. 29.* & hoc erag jugum legis, ex lapsu primorum parentum subortum, quod per doctrinam Evangelii, de Novo Adamo, respectu nostri sublatum est, & nos ab eodem liberati sumus; Nec vero illis peccata gravia ex præresi, aut contra moralem divinam positivam legem, commissa purgabantur; sed ad hoc opus erat, vera fide & interna coram solo Deo peragenda pœnitentia, quod confirmant preces Salomonis. *1. Reg. 2. v. 33. & 2. paral. 6. v. 24.* & exemplum Davidis, qui dum adulterium & homicidium commiserat, maxima pœnitentia sacrificium fuit *Pf. 51, 1. 18.* quod argumentum solide tractat M. A. de Dominis *de Rep. Eccles. L. 5. cap. 8.* ad cujus ibidem prolatas rationes nos remittimus. Confer. Seldenus *de Synædriis Ebræorum L. 1. cap. 7. p. m. 107.*

Negatur sacrificia V. T. pœnitentiæ publicæ fundamentum esse, nec omnia delicta per illa expiari potuisse probatur.

Ex N. T. adducuntur dicta Pauli *1. Cor. 5. v. 5. & 2. Cor. 2. v. 8.* quo primo loco, dum Paulus dixerat, quod quamvis absens corpore, praesens tamen spiritu constituerit, incestuosum illum, qui patris sui uxorem stupraverat, Satanae in interitum carnis tradere, ut salvus fiat Spiritus in die Domini; postquam primum ingemiscuerat, quod huic in communione ipsorum locum hactenus relinquerant; altero loco Corinthios iterum adhortatur, ut peccatorem illum, tanquam vere poenitentem, rursus in sacramentorum ac fidei communionem reciperent, ac amorem charitatemque suam denuo in eundem confirmarent; Quo ipso adstruitur, poenitentiam aliquam publicam in usu fuisse, ^{Fundamentum proximum est in} videlicet, ut peccator prius ad usum sacramentorum non admittatur, donec de acta ab eodem poenitentia totius ^{stiracis Apostolica ipsa.} fidelium societati ex fructibus ipsius constare possit, ac ita, propter hanc primam apostolicam institutionem, eandem subinde in primitiva ecclesia sic retentam fuisse: nullatenus vero hoc analogiam habuisse, cum postmodum introducta rituali poenitentia canonica, vel excommunicatione.

Thefis. VII.

Alterum fundamentum ita constituunt: necessitate ^{Secundum} quadam jubente, in primitiva ecclesia, cum iurisdictio civilis ^{fundamentum} deficeret, factum esse, ut qui ecclesiam publico scandalo ^{De de} laeserit, cum eadem quoque in gratiam redire debeat; ^{poenitentia.} quod aliter, quam per deprecationem publicam, seu peragendam poenitentiam, tunc quidem fieri non poterat. B. Lutherus *Tom. 4. latin. genens. fol. 801.* add. Balduin. *de Casib. Conscient. L. 2. c. 12.* Ubi tamen apprime notandum, quod cum primitiva ecclesia brachium seculare non conjunctum haberet, & sic merito de omnibus notoriis peccatis exigeret poenitentiam, non quidem in poenam ipsius peccatoris ^{sed}

*Poenitentia
publica in iis
delictis non
absolute ne-
cessaria, quæ
civiliter
coerceri so-
lent.*

sed ut ad emendationem morum & vitæ suæ, præsertim externæ, meliorem frugem illum perducerent, aut si nollet resipiscere, eum indignum christiani nominis, quod tunc temporis plus dictum erat quam hodie prohi dolor! judicarent; hæc poenitentia non ob scandalum ecclesiæ datum peragi debuerit, sed ut dictum eo, quod aliam viam emendandi vitam externam non habuerunt; Quandoque igitur hodie ad purgandos externos malorum hominum mores poenæ civiles adhiberi possunt, ecclesia autem externa, utpote quæ ex fructibus tantum judicare potest de alicujus resipiscentia, quamvis vel maxime salutem hominis internam proprie intendat; vid. *Consil. Theol. Witteberg. P. 2. fol. 128.* attamen nihil amplius ad admittendum aliquem in externam ejusmodi communionem, quam externam christianam vitam requirere valet, manifestum evadit; in illis circumstantiis, ut peccatori etiam publica poenitentia imponatur peragenda de necessitate absoluta amplius non esse, sed propter poenam civilem ipsi inflictam, tamdiu pro emendato ab ecclesia habendus sit, donec contrarium iterum adpareat. Aliquodatenus huc faciunt verba Ziegleri in *Superint. cap. 19. §. 3.* *Et si enim, inquit, certa esse nequeat Ecclesia, deprecantem ex vera poenitentia & sincero corde actum istum peragere, quod qualitas illa in animo consistat, quam perspicere nemo hominum potest, sed quia ab externis signis conjecturam facere & omnia in bonam partem accipere & interpretari oportet, hinc adeo etiam de poenitente ex gestibus & moribus externis bene sentire licet, habere eum animum rectum & serio dolore ob peccatum commissum angere. Confer, quæ infr. de sine poenitentia monita sunt.* Aliud vero si, ut dictum, peccator scandali zavertit simul ecclesiam, omnino pronunciandum erit. Hic ve-

ro probe observandum, quod illa, quæ omnibus tanquam peccatum improbata, ac in se mala atque turpia ab omnibus cognoscuntur, proprie scandali nomine, ecclesiæ dati, non veniant, sed illa duntaxat, quæ sub specie rei indifferentis, aut licitæ, infirmiorum animos facile seducere possunt; ut constat ex tota Ep. Paulina ad Galatas: item ex dicto ipsius Christi; *Va mundo propter offendicula.* Quod ipsum optime exprimitur germanico vocabulo *Aergerniß* tanquam quod ex tali facto alii deteriores fiant, ut sic ex. gr. homicidium, adulterium, furtum & delicta consimilia inter scandala, ecclesiæ data, non referenda sint; cum nemo inter fideles tam infirmus existat, qui ex eo, quod talia perpetrata cognoverit, pejor fiat, potius omnes, qui boni sunt, de his peccatis dolebunt, ac Deo effusis precibus hujusmodi peccatoris internam resipiscentiam instantissime commendabunt. Ab hoc vero quam maxime differt illud, quod si crimina talia externa publice non puniantur, exinde Reip. externæ, licet infideli, scandalum oriri possit, unde communis formula sententiarum: *Dem angetlagten zu wohlverdienter Straffe/ und jederman zum Abscheu:* Quod tamen ad externum Reip. cujuscunque regimen pertinens, cum ecclesia, qua tali, nullam connexionem habet. Ille igitur tantum proprie, qui usu quamvis externe licito, alios in abusu quasi confirmat, & sic sub specie liciti occasionem peccandi tribuit, vel infirmos, aut tenellos animos ad pravos mores seducit, scandalizare dicitur. Quæ neglecta distinctio, prædicantibus quandoque in perstringendis aliorum malefactis; cum ipsi ac alii quidam sæpius in majori, quamvis diverso, luto hæreant, magnam cavillandi occasionem præbet; dum ex. gr. melancholici, vel siccioris, aut calidioris temperamenti, peccata voluptatis,

Quid sit scandalizare ecclesiam?

Aliud est scandalum Reip. dari.

Hinc sæpius sæpius o-riuntur.

D tan-

tanquam Igravissima scandala, prolixis imprecationibus prosequuntur, ac avaritiam, licet radicem omnis mali; superbiam, maximum & primum ipsius Diaboli peccatum; sollicitudinem mundanam, gentium ac infidelium notionem; neglectum ac deficientem amorem, ex numero Christi discipulorum expellentem inter maxima scandala referre negligunt. Cum vero illam personam, quæ exactantis temperamenti affectu, vel illecebris alterius, forte ad peccatum quidem damnabile, sed de quo mox intimius doluit, seducta, pro singulari malefico ac scandalizante peccatore in cœtu retro adductorum gravissimorum peccatorum, perversitatem suam nondum agnoscentium, multis maledictis dehonestant; eo ipso ceteros, qui non in simili transgressione versantur, quasi præ tali sanctiores confirmant. Deo vero sit laus & gloria, quod nobis in his etiam irreprehensibiles ecclesiæ ministros quamplurimos concesserit! Cœterum de quibus ergo peccatis sigillatim peragenda sit pœnitentia, infr. ulterius expositum videre habebis. Adde his tertium denique fundamentum, quod a non nullis hic constituitur: Videlicet, ut tranquilla reddatur conscientia peccatorum, qui de peccatis commissis ejusdem morsus & ietus sentiunt, receptam esse pœnitentiam publicam; si quidem illi, qui hanc pœnitentiam agunt, peccata sua, quantum ad ecclesiam scandalizatam attinet, a tota ecclesia remissa habent, nec illos urget scandali dati maledictio a Christo prolata *Matth. 18.* qua de re ita: B. Lutherus apud Carpzov. *loc. all. n. 18.* Publica absolutio est res magni momenti, & mirabiliter fidem firmat, roborat ac consolatur, nam ipsa aliud nihil est, quam multorum, seu ecclesiæ Deo gratæ testimonium, a Deo nobis donatum & adprobatum; sicut consolationes, quanto a pluribus

*Fundamentum tertium
De pœnit.*

ribus fiunt, hoc plus efficiunt apud pavidas ac turbatas conscientias,

Thes. IIX.

Hac autem omnia nostra poenitentiae, publicae apo-
 stolicae & primitivae ecclesiae, fundamenta umbram tantum
 habere videntur, si Seldeni opinionem, de banno Judaeorum
 in babylonica captivitate excogitato, ac ab iis deinde,
 non solum ex captivitate liberatis, usque ad tempora Sal-
 vatoris nostri observato, sed etiam ab christianis, & ipsis
 Apostolis in primitiva ecclesia retento, sequaris: quam e-
 rudite prosecutus est & demonstrare conatur *in Libr. de
 synedriis Ebraeorum; L. 1. de cap. 7. usque ad cap. 12. inclus.*
 quam etiam refert Excell. Dn. Thomasius im Bedencken
 über die Frage; Wie weit ein Prediger gegen seinen Lan-
 des-Herren/ welcher zugleich summus Episcopus mit ist/ sich
 des Binde-Schlüssels bedienen könne? Ex hac enim senten-
 tia manifestum evadit, poenitentiae publicae ecclesiasticae
 solenni, quae illi sub banni nomine venit, non novam ori-
 ginem, aut ab ipsis Apostolis institutam affingendam, sed
 potius pro certo habendum esse, quod illa ipsa ex banno
 illo babylonico derivata fuerit; Cum manifesto constet:
 hanc excommunicationem, usque ad tempora Christi & A-
 postolorum, in Ecclesia Judaica usu obtinuisse, nec vero ean-
 dem ab his improbatam, aut abrogatam reperiri, potius A-
 postolos de illa passim, tanquam de re certissima ac notis-
 sima, mentionem facere &c. Sed vero, quamvis magni a-
 lias faciam tantorum virorum auctoritatem ac rationes e-
 ruditissimas, illud tamen ex variis argumentis non sequen-
 dum esse mihi equidem videtur. Et primo quidem, etsi
 negare haud possim, sed omnino concedam: excommuni-
 cationem babylonicam, vel saltem huic non dissimilem,

*Recensetur
 circa funda-
 mentum pu-
 blicae poeni-
 tentiae opinio
 Seldeni.*



*Argumenta
in contra-
rium propo-
nuntur.*

apud Judæos ad Christi usque tempora obtinuisse, nec eandem expresso verbo divino originem debuisse ullam; Non tamen hoc infert consequentiam, quod sic etiam a Christianis Judæis illa retenta fuerit, neque hoc ita simpliciter ab all. autoribus contenditur; Secundo vero etiam ex eo, quod volunt, non sequitur, quod sc. bannum hoc a Christo & Apostolis abrogatum, aut mutatum, non reperitur; posito enim, sed non concesso, ejusmodi expressam circa hoc abrogationem non inveniri in novo testamento, tacitam tamen, per contrarium usum, ab ipso Christo susceptam esse, variis S. Scripturæ locis passim edocemur: Sic *Math. 9. v. 9.* legitur, Salvatorem publicanum quendam ipsum sequi jubere, eundemque in societatem suam recipere, quod non solum ad merum cum peccatoribus cibi sumtionem, aut ipsis a Christo permissam suæ doctrinæ auditionem restringendum esse docet *dict. paralel. Luc. 15. v. 2. seqq.* ubi per parabolam illam, de ove perdita & rursus inventa, satis clarum redditur, illud de simplici quoque peccatorum poenitentia, & ipsis tributa gratiosa remissione, intelligendum esse, quod subinde etiam confirmatur *per dictum Marc. 2. 15.* Quoniam vero hoc ipsum pharisæis contra leges & observantias judæorum a Christo fieri videbatur, increpabant in Dominum nostrum & ipsi quasi in opprobrium objiciebant, quod ille peccatores ita simpliciter reciperet, respicientes absque omni dubio ad bannum, seu excommunicationem illam, peccatoribus primū imponendam; quod ex responsione deinde a Christo eis lata magis clarum est, dum dixit: *Ite potius & discite, quid sit illud; misericordiam volo, non sacrificium.* Ubi per sacrificium nihil aliud intelligit Salvator benignissimus, quam præsumptam elutionem

nema

nem peccatorum per opus operatum. Et quamvis hisce opponi possit; Christum hic de sacrificiis veteris testamenti, pro peccatis offerri solitis, loqui, non de excommunicatione ecclesiastica; illud tamen primo ex eo non existimandum est, quod *supra in thes. preced.* demonstravimus; videlicet nunquam ejusmodi sacrificia pro omnibus peccatis eluendis sufficientia judicata esse, hic vero de peccatoribus in genere, qui plurimis peccatis se contaminaverant, sermonem fieri; Secundo etiam, hoc admisso, sententia nostra non inde tamen infirmatur, quin potius tunc procedat argumentatio a majori ad minus. Sane nobis sufficere hic potest, quod Christus plus simplici vice poenitentes, fide ipsorum ipsi comperta, simpliciter absolverit *ut Matth. 9. v. 2. Marc. 2. v. 5. Luc. 5. v. 18. cap. 7, 48. 1. Thimoth. 1. v. 15.* nec vero unquam excommunicationis Judæorum mentionem fecerit, nedum, quod illam in poenitentes exercuerit; quapropter illud argumentum; quod ideo excommunicatio illa Judæorum a Christianis retenta esse præsumenda sit, quia nunquam a Christo vel Apostolis legatur abrogata, merito inverto: ut scilicet omnino illud ex Judæorum ceremoniis non retentum a Christianis censendum sit, quod non expresse adprobatur: Constat enim, quod Christus multas ceremonias Judæorum non abrogaverit, vel improbaverit, de quibus tamen certi esse possumus, vel saltem contrarium non invenimus, nunquam easdem primis Christianis usitatas fuisse; ex. gr. necessaria positio hydriarum secundum purificationem Judæorum in diebus latiferis; & id genus alias. Minus pro contraria opinione militat dictum Christi *Matth. 5. v. 17.* dum enim largitur, quod bannum babilonicum non divinum institutum, potius injuste a Judæis, ex captivitate li-

beratis, & jurisdictione ipsis restituta, retentum sit; nihil quoque est dubium, sed omnino sequatur oportet, illud sub nomine decalogi aut legis divinae, de qua loquitur *all. dictum* & quo etiam pertinet locus *Act. 21, 20.* non contineri. Caterum quod antea negavimus, videlicet expressam judaicam excommunicationis abrogationem non inveniri in Novo testamento, hoc probatur *ex Matth. cap. 23. v. 4. 13. & Luc. cap. 11. v. 46.* ubi quidem nomen ipsum alicujus excommunicationis non reperitur, ex verbis tamen Salvatoris; quod onera gravia imponant & caelum hominibus claudant pharisaei, nihil aliud inferri potest, quam laborum pro peccatis usitata impositio, quae est solennis illa & publice peragenda poenitentia, quam vero Christus magna maledictione ibidem, tanquam negotium in opere operato consistens, expresse improbavit. Hinc nil amplius haecenus nobis jam obstat, quam quod dicitur; Apostolos de banno illo solenni, tanquam de re notissima loqui; quod tam ex historia ecclesiastica, quam ipsis Epistolis Paulinis satis clarum esset: Sed nihilominus res salva esse videtur. Primo enim quod ad historiam ecclesiasticam primitivae ecclesiae attinet, illi in istis documentis fides habenda non est, quae contra expressam S. Scripturam & institutiones Christi & Apostolorum loquuntur; nisi credere velis, primos Christianos potius antiquas Judaeorum fabulas retinuisse & observasse, quam Christi & Apostolorum tradita secutos esse; quapropter non immerito contra ejusmodi, ex antiquis historiae ecclesiasticae illorum temporum scriptoribus, adducendas hanc in rem probationes Bellarminus *de Scriptis apocryphis Divorum patrum* denuo edi posset. Quod vero dicitur Apostolos & imprimis Apostolum Paulum in suis Epistolis hujus banni sa-
pius

pius mentionem facere ; ubi forsan respicitur addictum
1. Cor. 5. v. 5. illud *1.*) hactenus dictorum argumento, non
 existimandum est, scilicet Apostolum Paulum ejusmodi re-
 usum esse, quam Christo displicuisse demonstravimus;
 2.) ipsa verba Apostoli docent in all. loc. Sermonem ei-
 dem neququam esse de consueta apud Judæos excommu-
 nicatione, utpote quæ ex observantia judæorum impone-
 batur, Paulus vero notanter dicit; quod ex potentia Chri-
 sti & in ejus nomine peccatorem Satanæ tradere velit;
 3.) & quod potissimum est, ipsi all. Dnn. Autores, dum
 clavium potestatem eruditis rationibus, quoad hodiernos Ec-
 clesiæ ministros, recte rejiciunt, hoc & similia dicta, quæ ad
 excommunicationem judaicam trahi quirent, ad nullam
 excommunicationem, quod quidem nobis ita absolute non
 videtur, referri posse contendunt, quæ quomodo simul
 stare possint, ego equidem non capio. Hæc igitur sunt ar-
 gumenta, quæ me sentire fecerunt, publicam primitivæ
 ecclesiæ pœnitentiam ex banno, sic dicto, babylonico ori-
 ginem non æque habere, sed eandem ab ipsis Apostolo-
 rum & primitivæ Ecclesiæ institutis propriis petendam es-
 se, eandemque alius prorsus qualitatis fuisse cum banno
 illo, judæis tunc temporis usitato; Annon vero postmo-
 dum, & jam subsequenter primis Ecclesiæ sæculis, in pœ-
 nitentiam illam publicam navi irrepsit, banno illi ad-
 ducto haud dissimiles, illud non solum non negamus, quin
 potius de eo ipsi certissimi simus, quod infra in variis pœ-
 nitentialibus ritibus a pontificiis introductis abunde adpa-
 rebit. Ut autem quæ hactenus disputavi facilius intelli-
 queant, loca hic quædam ex lib. all. Excell. Dn. Thomasi
 excerpere lubuit, loca vero Seldeni in d. libr. videri pos-
 sunt. Postquam igitur de banno Babylonico actum esset,

*Nostra opi-
 nio.*

*Adducuntur
 verba Excell.
 Dn. Thoma-
 si in Seldeni
 opinionem
 hæc*

hac in oben allegirten Bedencken pag. 44. seqq. habentur verba: Also ist nunmehr auch das Wesen des christlichen Kirchen-Bannes desto leichter zu verstehen/ zumahl da die Christen ihren Kirchen-Bann/ so viel den ersten Ursprung betrifft/ nirgends anders her haben/ als von den Juden zc. Erstlich was die Zeiten Christi und seiner Aposteln betrifft/ so ist zu präsupponiren/ daß wie Christus nicht gekommen ist das jüdische Geseze aufzuheben/ sondern dasselbe zu erfüllen/ noch weder Er noch seine Apostel befohlen / daß die ersten Christen sich von denen Juden und jüdischen ceremonien absondern solten / sondern vielmehr Christus und die Apostel selbst/ jedoch nicht mehr aus Zwang und Trostweise/ die jüdischen ceremonien beobachtet und gebraucht/ also auch nach Christi Himmelfahrt solcher Gestalt continuiret worden zc. & paulo post: Da nun in der gangen H. Schrift nicht zu finden/ daß Christus oder seine Apostel wegen des Jüdischen Bannes etwas neues verordnet hätten/ gleichwohl aber/ so wohl aus denen Episteln Pauli, als sonst aus der Kirchen-Historie erhellet / daß die ersten Christen unter denen Aposteln / ja auch die Apostel selbst entweder des Kirchen-Bannes sich bedienet / oder doch davon als einer gewöhnlichen Sache geredet; so ist daraus gnugsam abzusehen/ daß dieser Kirchen-Bann derer ersten Christen/ es sey nun der grosse oder kleine / kein anderer Bann/ als der vorerzehlte Jüdische Bann sey/ auch keine andere qualität und Beschaffenheit habe/ als der Jüdische Bann gehabt/ nemlich daß er weder die verbanneten von dem Gottesdienst und Gebrauch des H. Abendmahls ausgeschlossen habe/ (quod impugnari potest ex 1. Cor. 5. v. 2. modo illam simplicem a cultu divino exclusionem peccatoris, in primitiva ecclesia solum usitatam, excommunicationem

tionem vel judaicam, vel pontificiam, nominare caveas) Wie solches fürnemlich bey dem Exempel Judæ zu sehen/ welcher bey dem Gebrauch des H. Nachtmahls gewesen/ (de hoc primo non deficiant, qui dubitant, nos quidem non negamus, sed vero Judas ex singulari Dei judicio S. evcharistiæ particeps factus fuit) noch auch das Verbannen denen Aposteln oder Bischöffen und Kirchen-Vorstehern alleine zukommen sey &c de quo ultimo infra. Ferner wie Joh. Seldenus in seinen Buch de synedriis augenscheinlich gewiesen / daß der Binde= Schlüssel ein blosses Menschen= Werk sey; Also hat er auch auf die dicta der H. Schrifft/ die man insgemein zu Behauptung dessen göttlichen Ursprunges anführet / sehr ausführlich im Gegentheile geantworret &c. & paulo post: Die Uebergebung des Satans/ mit der Paulus den Blutschänder belegen/ beweiset er eine Wundersahme geistliche Würdung gewesen zu seyn/ daß sie also nicht auf die gemeine jüdische excommunication könne gezogen werden/ sondern zu der wunderthätigen Krafft der Apostel gehöre) & idem de reliquis dictis pluribus affirmatur.

Th. IX.

Aliud publicæ poenitentiae fundamentum, quod a ve- *Aque erro-*
 ritate æque longissime abest, sinxerunt hic primum ponti- *neum pani-*
 ficii, illudque postmodum a multis nostræ etiam religionis *sentie b. fun-*
 Antilitibus incaute defensum est: quod vero non lubri- *damentum*
 cum tantum, sed erroneum prorsus esse demonstrabimus. *est potestas*
 Loquimur autem de explicatione dictorum: *clavium.* *Matth. 16, 19.*
cap. 18. v. 18. Job. 20. v. 22. 23. ex quibus quidem constat,
 a Christo Apostolis ac discipulis suis potestatem clavium,
 h. e. facultatem remittendi & retinendi hominibus pecca-
 ta, concessam esse: Qualis vero hæc Apostolorum cla-
 vium potestas, quinam ejus finis & effectus, vel causa di-
 vine illius concessionis fuerit; & num solis, Apostolis ea-
 dem

E

dem

dem data, an vero omaibus hodiernis Evangelistis etiam competat? non una est inter Theologos & ICtos sententia, nec unquam futura. Hæc ipsa clavium potestas dictum illud erroneum fundamentum constituit, h. e. fulcrum & basis videtur totius jam impugnandæ publicæ pontificiorum pœnitentiæ ecclesiasticæ, quapropter non quidem, quod instituti nostri aut brevitatis ratio haud permittit, prolixè hic cum Doctoribus disputare, aut examinare ad amussim singulorum tradita animus est, paucissimis tamen illam & solidis nihilominus nonnullis argumentis refutabimus, in tantum sc. ut illa fundamentum quoddam dictæ pœnitentiæ facere non possit: & quidem sic primo docebimus, potestatem clavium Ministris ecclesiæ prorsus non competere, deinde illam ipsam quoque Apostolorum potestatem, ad externam peccatorum a cœtu fidelium exclusionem non pertinuisse, neque sic hanc originem illi acceptam referre, ubi tamen in fine quorundam Dissidentium catalogum simul adjungemus.

Thefis. X.

Clavium potestas fuit miraculosa & solis Apostolis tributa

Et quidem ante omnia calculum addimus illorum sententia, qui probant; clavium potestatem fuisse potestatem miraculosam, a Christo solis Apostolis per miraculosum & extraordinarium ad hanc Spiritus S. donum, eum in finem tributam, ut illi, credentibus prædicato ab eis Evangelio, gratiosam peccatorum omnium remissionem, proprio nomine ex immediato divino mandato, tribuere, & certitudinem habere possent, quinam digni vel indigni annunciata divinæ gratiæ essent? in quibus hujus miraculosa, ut diximus, potestatis quidditas, effectus & finis constitit: quod vero ad causam attinet, quare a Christo Apostolis eadem largita fuerit, illa sine dubio eo rediit, ut per

per hoc miraculosum donum, miraculis roboranda prima Evangelii doctrina, magnificentior reddatur; eademque literis nondum consignata, in ore prædicantium vivam imaginem haberet, quo pertinet dictum *Rom. 15. v. 18. 19.* si quidem cum plantanda hæctenus ecclesia, ipse Deus pro infinita sua bonitate, veritatem suam sæpius miraculis firmavit, quod in plantata nunc ecclesia, & ubi omnes doctrinam Evangelii salutarem, scriptis comprehensam, agnoverunt & profitentur, non necessarium esse ipsa docet ratio.

Th. XI.

Hanc nostram de clavium potestate doctrinam pro-
bat imprimis dictum *Johann. cap. 20. v. 22. 23.* hæc enim i-
bi habentur verba: quæ dum dixisset, flavit in eos & dixit ^{Argumenta} ^{pro hac sen-}
eis; accipite Spiritum S. quorumcunque remiseritis pec- ^{sentur.}
cata remittuntur eis, quorumcunque retinueritis retenta
sunt; Quæ datio S. Spiritus per afflationem, non aliter
unquam facta legitur, quam si miraculosa & extraordina-
ria eadem fuerit; ut miraculosa Spiritus S. effusio in die
pentecostes, de qua *Act. 2. v. 2. seqq.* Qua propter omnino
dicere nos oportet, illam ipsam extraordinariam & Apo-
stolis propriam fuisse, non sanctificantem solum eos ad vi-
tam æternam, vel omnibus vere fidelibus communem ^{jux-}
^{ta} *Ephes. 1. v. 13.* eandemque etiam ad ministerium eccle-
siasticum hodiernum sufficientem. Non ergo rejicimus
quidem distinctionem notissimam Theologorum: inter
dationem Spiritus S. ratione sanctificationis, & ratione mi-
nisterii, quamdiu de immediata Apostolorum divina vo-
catione ad ministerium Evangelii quæstio est, sed tamen
argumento retrodictorum existimamus, diversum in hoc
passu fuisse ministerium Apostolorum plantatæ ecclesiæ, ^a
E. 2 mini-

ministerio ecclesiastico hodierno, ceu ecclesiæ plantatæ, & sic respectu hujus hanc distinctionem non agnoscimus: ut potius existimemus, quod sub prætextu Spiritus S. ministerialis, a multis pro dolor! mercenariis, sanctificans ille amoris ac charitatis Spiritus, quem ipsi nunquam cognoverunt, sæpius repellatur, ex eodemque fundamento maxima ministri ecclesiæ indignitas dignissima habeatur: quamvis, quod ad antea dicta attinet, non dubitem, in casu ubi quis ethnicos, vel quoad ipsam historiam Evangelii infideles, ad salutarem hanc viam perducere vellet, si modo fidem ille paulinam haberet, Deum illi hunc miraculosum S. Spiritum ad roborandam veritatem iterum largiturum fore, æque ac in plantanda primum ecclesia, juxta promissionem ipsius Christi *Job. 14. v. 12.* & hoc quidem ex collatione parium nos existimare oportet. Ad ejusmodi itaque ministerium Apostolorum miraculosum, de quo etiam *Marc. ult. v. 16. 17.* cum quoque referri debere potestatem clavium demonstraverimus, nullum dubium est, eandem hodiernis Ecclesiæ ministris non competere, utpote in quibus extraordinarius ille S. Spiritus Pauli & Petri, cui etiam nequitia cordis peccatoris Ananiæ ejusque uxoris Sapphiræ incognita esse non poterant, *Act. 5.* ac Discipulorum reliquorum Christi & illorum, quibus ille ab his postmodum concessus fuit, non conspicuus est, qui nec in eis, juxta jam deducta, requiritur, quin potius nostris temporibus suspectus idem foret arg. divinationis S. *Matth. 24. v. 24. Marc. 13. v. 22. Luc. 21. v. 8. 2. Theff. 2. v. 9. Apoc. 13. v. 12. 13. cap. 16. v. 14.* Quapropter & exinde nostris Evangelistis & prædicantibus, a quibus hypocrita & vere pius vix discerni poterit, nullatenus absoluta illa peccatorum remissio tribui potest, sed illa soli Deo propria manet.

Clavium potestas hodiernis Ecclesiæ ministris non competit

net. *Ex. 34. v. 7. Ps. 19. v. 13. Ps. 32. v. 5. Ps. 103. v. 3. 12. Es. 43. v. 25. Jer. 31. v. 34. Matth. 9. v. 3. Marc. 2. v. 7. Luc. 5. v. 21.* quæ itaque ut ab hominibus exerceri etiam queat, speciali divina concessione, æque ac de miraculis faciendis, opus erit; hæc autem solis Apostolis & Discipulis Christi largitam esse, non omnibus Evangelium hodie docentibus, clarum est *ex dict. supr. all.* Cujus doctrinæ veritas porro adparet, ex necessaria relatione ipsius clavium potestatis & Spiritus S. quæ evidens est ex dicto *Job. 20. v. 22. 23.* quam procul autem proh dolor! sæpius hodie absit Spiritus S. a Ministerio Ecclesiastico neminem fugit; & sic unusquisque etiam intelligit, minime gentium potestatem clavium characterem esse ministerii ecclesiastici hodierni; quod enim porro dicunt: donum hoc clavium potestatis in illos solenni ordinatione pro indelebili characterem per manuum impositionem conferri, illud unusquisque intelligit, hierarchiam ac superstitionem papalem sapere, & ex eodem jam dato a nobis fundamento vacillare: Nam nemo nescit, quod illa manuum impositio, quæ tempore Apostolorum, ex speciali Salvatoris gratia, Spiritum S. miraculosum transferre valebat, idem hodie non amplius operetur; modo Spiritum S. sanctificantem tribueret; quod tamen potius piis suspiriis votendum, quam sperandum est: non enim hic papistizare possumus; quasi ritus hic sacramentum a Christo institutum esset, aut hominibus cælum aperire queat. Quibus si quis opponat: pseudo Prophetas non esse Prophetas, & sic illis omnino tantum competere hanc potestatem, qui gratia Spiritus S. repleti, veri Evangelii Ministri sunt; nec vero illorum prerogativas per mercenariorum indignitatem infirmari posse, ille responsum ferat: quod 1.) jam dicta imprimis tantum face-

re velimus ad illud demonstrandum, quod non omnibus Ecclesiæ Ministris hæc clavium potestas competere, nec ideo eadem inter characteres illius ministerii haberi possit; quamvis 2.) & insuper contra hanc dubitandi rationem quam maxime excipere quam, fieri hic collationem similia non parium; ille enim qui pseudo propheta est, non est propheta prorsus, concedo: non autem idem dicendum est de ministro Ecclesiæ, qui licet interne mercenarius sit, nihilominus minister ecclesiæ secundum nostrum corruptum, vel potius mutatum, statum manere solet; Quæ differentiæ ratio in eo est, quod istum immediata divina vocatio, hunc civilis auctoritas faciat. Vid. hic omnino Schertzerus *System. theol. loc. 25, §. 12.* cum vero Apostoli non ex ejusmodi civili auctoritate, sed ex immediata divina, ut prophetæ omnes, habilitatione ad ministerium Dei & imprimis Evangelii constituti fuerint, non etiam horum prærogativæ spirituales potestates, propter differentiam vocationis, ab hodiernis ecclesiæ ministris usurpari poterunt; & hinc etiam ipsa clavium potestas in veris & piis ecclesiæ ministris characterem ministerii non constituit. Nec enim illa a beatissimo Salvatore Apostolis suis singulari afflatu collata miraculosa, internam hominis dignitatem, vel indignitatem, cognoscendi potestas, ac secundum hanc ligandi absolvendique facultas, cujus exercitium adparet ex historia Ananiæ & Sapphiræ Act. cap. 5. ab illis, qui officium aliquod ecclesiasticum quomodocunque, licet solenni aliquo ritu, juxta priora, consecuti sint, magis vindicari poterit, quam illa post hanc vitam judicandi potestas a Christo quoque Apostolis suis promissa. *Luc. 22, v. 30.* verbis: *Ihr werdet sitzen auf Stühlen / und richten die zwölf Geschlechter Israel etc.* Sed miraberis forsitan amplius
me

*Quamvis o-
primi sint.*

me hic externam, h. e. humanam Ministrorum ecclesie *Alia est vo-*
 vocationem confundere cum interna, quæ divina esse de- *catio exter-*
 bet, cujus vocationis differentias prolixè profecuti sunt *na s. huma-*
 Carpz, *Jurispr. Consist. L. 1. tit. 5. def. 62.* & Zieglerus *na; alia in-*
tractatu speciali, de clerico renitente; & Theologi fere omnes *terna s. di-*
profitentur passim: & hinc omnino existimabis, me in data *vina.*
 jam distinctione non accurate satis & male procedere. Sed
 bona verba quæso; non enim nego internam divinam vo-
 cationem Ministris Ecclesie ad ministerium Ecclesiasti-
 eum, talem videlicet, ut externa vocatio confirmare de-
 beat illam internam & ita illi subordinari, ut habet ex Lam-
 berto Carpzov. *all. libr. 5. loc. n. 3. 4.* (quamvis non omnes
 vocationes divinæ credendæ sint, quæ a nonnullis luci cu-
 pidis mercenariis pro talibus venditantur, ut potius pri-
 mo quam maxime ejusmodi pharisæos interrogare denuo
 cum Salvatore nos oporteat: *Wes ist das Bild und die*
Uberschrift?) sed multo magis sustineo, de hujuscemodi *Hæc Prædi-*
 interna divina vocatione quemlibet Christianum in officio *cantibus not-*
 suo, etiam non ecclesiastico, sed seculari, ad consolendam *propria, sed*
 suam conscientiam certum esse debere, cum divina illa vo- *omnibus*
 catio nihil aliud, quam voluntatis divinæ certa agnitio sit, *Christianis*
 vel ut loquitur *all. Franc. Lambertus in Tr. de fidelium vo-*
 catione in regnum Christi cap. 8. & 9. apud Carpzov. *all. loc.*
Quisquis, inquit, ad sacra regni Christi ministeria, maxi-
me ad summum illud, quod est ministrare verbum Dei, exter-
ne vocatur, antequam suscipiat vocationem, expendat: AN
SPIRITUM AD ID ACCEPERIT; QVOD EST
INTERNE MITTI SEU VOCARI. &c. Quod in
 rebus etiam & officiis aliis, non ecclesiasticis, necessarium
 demonstravit Grotius his verbis: per aliquam illationem
in libr. de jure summarum potestatum circa sacra cap. 4. S. 1.

ex quibus quoque cetera quæ hactenus dicta sunt, simul probantur. *Quod non summa potestates, sed Christus ipse primum pastorale munus instituit, quod functionis sue regulas, quantum quidem ad ipsam muneris substantiam, h. e. prædicationem Evangelii, attinet, a Christo accipiunt, non a summis potestatibus, & quod eatenus pastores non sunt summarum potestatum, sed Christi vicarii, hæc omnia de jure Imperii nihil diminuerent aliarum rerum exemplis adparebit. Potestas parentum in liberos, maritorum in conjuges, non ab ullo humano instituto primitus, sed ab ipso Deo originem ac jus suum accepit; & tamen summis imperiis hæc subijci, quanquam illis ipsis imperiis antiquiorem, quis negaverit? Medica quoque functio a Deo est Natura auctore, ut pastoralis a Deo est auctore gratiæ &c. De agricultura, de mercatura, de ceteris artificis atque opificis eadem est ratio &c.*

Omnes christiani ad sacerdotium spirituale constituti sunt.

Immo quod in genere ad prædicationem Evangelii attinet, omnes sine dubio ad magnificanda Dei opera vocati sumus, quo sensu omnibus nobis regale Sacerdotium tributum dicitur *1. Petr. 2. v. 9. Apoc. 1. v. 6.* Ut adeo omnis distinctio inter laicos & clericos, sublato veteris testamenti ritu, tantum humano instituto nitatur; cum ad ministerium ecclesiasticum hodiernum non alia, *ut jam supr. dictum,* Spiritus S. efficacia requiratur, quam quæ a spiritu illo vere sanctificante, in omnibus regni Christi fidelibus asseculis excitatur & conspicua est. Verum tamen nilominus illa interna divina vocatio, aut felicissima Spiritus S. largitio, hodie ministrum ecclesiæ non facit, cum sine externa vocatione functio ecclesiastica a nemine suscipienda *Frid. Balduin, in spec. tr. de Inst. Ministr. cap. 6. Schertzer. System. theol. loc. 25. de ecclesia, §. 13. n. 2. & loc. 26. de Magistr. polit. §. 10.* de hac vero, ut tali potestas clavium prædi-

Sed hoc nihil facit ad functionem externam exercendam.

dicari solet, quod ipsi etiam, quoad hodiernam ecclesiam, clavis hujus fabri pontificii profitentur Vid. *Sperell. Decis. forens. Eccles. Decis. 30. n. 11. cum ibid. all.* & ex hoc nihilominus quæ hætenus dicta sunt salva manere possunt. Quando vero hisce iterum objicitur, quod licet hodie ministrorum ecclesiæ vocatio diversa sit ab Apostolorum vocatione, & licet etiam a civili auctoritate tantum dependeat, ut aliquis Evangelium publice docere possit, nihilominus tamen, cum idem cum Apostolis munus gerant hodierni prædicantes, idemq; ipsis muneris sui finis sit, quam Apostolis fuit, sequatur omnino, universa illa iis quoque hætenus competere, quæ Apostolis ratione muneris Evangelii prædicandi data esse constet; quod dum de clavium potestate manifestum sit, facilis hinc admodum conclusio fieri possit. Verum respondeo & probō; subfuntionem in hoc argumento mirifice vacillare, tantum enim abest, quod clavium potestas Apostolis ad muneris Evangelii prædicationis substantiam concessa sit, in quantum defendi potest, illos ante concessionem hujus potestatis veros & dignos Christi Discipulos & Evangelii ministros non fuisse. Nam inter notissima est, Christum Salvatorem clavium potestatem miraculosam, non diu post ~~subfuntionem~~ salutiferum passionis meritum, Apostolis largitum esse, nemo autem dubitat, quod isti jam tunc ad prædicationem Evangelii missi ab illo fuerint & Spiritum S. sanctificantem habuerint *Luc. 10.* Immo Apostoli jam ante quoque Spiritum S. miraculosum sanandi infirmos & expellendi ab hominibus dæmones acceperant *Matth. 10. Luc. 10. 9. & 17.* & tamen clavium potestatem nondum concessam habuerunt; ut adeo satis constet hanc potestatem nec ad munus prædicationis Evangelii, qua ta-

Ratio dubitandi nova.

Responsio.

le, pertinere: Licebit igitur hic subsumere, jam exanimatam miraculosam Apostolorum clavium potestatem impie & contra ejus essentiam & institutionis rationem a clero pontificio usurpatam; ut in Concilio Tridentino ejusmodi nefandus canon habetur: *Quod verba presbyteri, peccata remittentis, non aliter accipienda sint, quam verba ipsius Christi ad paralyticum: confide mi fili, peccata tua tibi remissa sunt.* ac deinde quoque a nostris Theologis quibusdam, quod omnibus ecclesie ministris eadem concessa sit, & quod fundamentum etiam esse queat publicae poenitentiae ecclesiasticae incaute defensum esse. Ad cuius asserti majorem insuper illustrationem facere possunt elegantissima verba Petr. Molinai in *Libr. de poenit. & clavibus*, ubi *libr. 4. cap. 10.* ita: *Fuisset olim, puta temporibus plantatae primitivae ecclesiae, res horrenda & prodigio propior, si Episcopus aut presbyter dixisset poenitenti: Absolvo te a tuis peccatis; Cohorruissent Christiani, ut adrem nefandam & impiam &c. Nec Episcopus dabat poenitenti absolutionem, nec ei remittebat peccata, sed nuda hac precatione ipsum dimittebat; Deus dimittat tibi omnia peccata & liberet te ab omni malo.* Et uti ex hac satis erronea doctrina, aequae erroneum illud dogma promanavit, de necessitate confitendi peccata coram presbyteris, quam defendunt Scriptores pontificii. Vid. *Thomasi. de Veter. & Nov. Eccles. Discipl. P. 1. lib. 2. cap. 7. seqq.* Oppalenus in *Libr. de Officiis*, nullo alia encomio satis efferendo, *libr. 3. de pietat. cap. 2. pag. 295, 296. pr.* ita illud in contrarium damnavit & liberum hic arbitrium defendit ipse B. Lutherus in *libell. de confess. Tom. 1. Jenens. Germ. fol. 514. & Tom. 7. Jenens. fol. 10. all. a Carpzo, cit. libr. L. 2. Def. 276. n. 6. 7. cum plur. ibid. all.* Ut exinde quantam

tam

tam hic, veræ religionis restaurator, clavi liganti & sol-
 venti vim ac efficaciam tribuerit satis adpareat. Quæ ad-
 ducta duo (possent autem si b re vitatis studium non re-
 fragaretur plura adferri) tantorum Theologorum testi-
 monia ad hoc operantur, ne quis hanc nostram opinio-
 nem heterodoxam, aut omni auctoritate theologica de-
 situtam existimet. Confer autem hic etiam omnino e-
 legantissimum locum apud M. A. de Dominis *de Rep. Eccl.*
L. 5. c. 7. §. 103. ibidem ita: *Atque hinc aperiant oculos no-*
stri Prælati sub Romano, animarumque curatores, & plane
videant, quam multos decipiant, cum illis tantam vim tan-
tamque efficaciam sacramentalis prædicant absolutio-
nis. Cui confisi, innumerabiles se, in peccatis detinent,
sibi que ea spe adplaudunt, quod pauci admodum ex Christia-
nis moriuntur, qui ad finem vite, accito confessario, ab eo
non obtineant absolutionem, & sic remissionem sibi certam
polliceantur, & sub ea spe poenitentiam penitus in tota vi-
ta ab se ablegant plurimi & consequenter in barathrum præ-
cipitantur. Et tantum sufficit ad illorum argumentorum
 refutationem, qui tam crudam hæctenus clavium potesta-
 tis Ministris, hodiernis ecclesiæ competentis, doctrinam
 profitentur Vid. *id. all. Oppalenus add. loc. Petr. de Mur-*
ga de beneficiis Eccles. qv. 1. sect. 1. Barbof. de officio & po-
testate Parochorum P. 1. capitulis prior.

Thes. XII.

Cum illis, qui non tam absolutam clavium potesta- *Cum pru-*
 tem defendunt, sed illam tantum simplicem faculta- *denioribus*
 tem divinæ gratiæ & maledictionis poenitentibus & *& facilior hic*
 impœnitentibus annunciandæ esse volunt, *facilior est disputatio*
 nunc erit disputatio. Et quidem mox lubentissime con-
 cedo & largior, ejusmodi facultatem habere ministros
 F 2 Eccle-

*Negatio S.
coena non
ex potestate
clavium, sed
ex sacra-
menti digni-
tate fuit.*

*Quid ad
hanc nega-
tionem, ut ju-*

Ecclesia; Verum hæc ipsa facultas non potest, sub nomi-
ne singularis illi ecclesiastico ordini tributæ a Christo po-
testatis, venire: Cum non solum unicuique fidelium hæc
simplex divinæ gratiæ in vere pœnitentem annuntiatio
competat, sed ipsa quoque doceat sana ratio, hanc etiam
ab infideli quocunque æque valido modo ac efficacia fieri
posse; etsi ad majus turbatæ conscientiæ solamen con-
ducat, eam ab exercitato Christiano, vel sic etiam ab ipso
Ecclesiæ ministro, seu confessionario, suscipi, modo tunc
hic caveat, ab usitata illa formula: *Jch / als ein verordner
ter Diener des Wortes Gottes / vergebe dir anstatt ic. alle
deine Sünde.* Quod vero ad hanc præcedi solitam S. Synaxi
remissionem, Dei loco a Presbytero faciendam, vel ean-
dem ei, quem non vere pœnitentem existimat, negandam
porro attinet, quasi quæ inspecie ad ordinis ecclesiastici jura
pertinere & fundamentum publicæ ecclesiasticæ pœnitentiæ
constituere dicitur; illa si nihilominus valere debeat, non ex
præsumta hujus potestatis, ipsis a Deo datæ, concessione
derivanda erit, quam nullam esse demonstravimus, sed ex
dignitate ipsius sacramentalis communionis fuit, quæ uti-
tque non facile notorie impœnitentibus, in illorum ani-
marum perniciem concedenda erit, ne indigne scilicet e-
dentes ac bibentes judicium ac una pœnam sibi ipsis man-
ducent ac bibant, ac rei fiant corporis & sanguinis Domini
1. Cor. 11. v. 29. Confer. *Oppalen. de officiis L. 3. de pietate
cap. 2. p. 293.* in quo pontificii & Lutherani religionis
Defensores concordant. Vid. B. Lutherus *Tom. 8. Witte-
berg. p. 404.* Dedekenn. *Conf. Theol. P. 3. L. 1. n. 4. p. 715.*
Non vero hic sufficit peccatum grave commissum *Esa. 1.
16. seq.* sed notoria impœnitentia requiritur, cujus exem-
plum esset, si quis confiteatur se odio habere personam,
quæ

quæ ipsi injurias attulisset; cum alias καρδιογύβες esse non possit Ecclesiæ Minister, nec sic regulariter sacramentum hoc dispensandum erit secundum privatam, sed publicam scientiam, alioquin multa sequerentur scandala multæque injuriæ. Carpzov. *Jurispr. Confess. L. 3. tit. 9. def. 109. Et imprimis ipse ab eod. etiam all. Filliac. Quæst. moral. Tom. I. Tract. 4. cap. 9.* Et quoniam cavere debet ejusmodi minister ecclesiæ, ne vere pœnitentibus cœlestia bona facile deneget, & quoque, quod maximum est, quia aliorum & superiorum auctoritate ministrat, non debet sua hic auctoritate procedere, sed rem totam deferre ad Consistorium vel Senatum Ecclesiasticum, cujus deinde jussu ipsum obtemperare decet vid. *Confess. August. de eccles. potest. p. 38. add. Carpz. all. libr. L. 2. tit. 18. def. 284. Fritsch. in Jure Eccles. pag. 145. Confer. Reinking. de Regim. secular. & Eccles. L. 3. class. 2. cap. 2. n. 31. Et Ziegler. ad Lancell. Inst. Jur. Can. L. 4. tit. 13. pag. 1031. maxime cum Consistoria, de quibus infr. plura, totum fidelium cœtum, vel ejusdem Seniores representent Id. all. Carpzov. L. 1. tit. 1. def. 12. n. 2. 3.* Penes hunc vero ejusmodi simplicem a communione externa exclusionem etiam temporibus Apostolorum fuisse constat ex *Matth. cap. 18. v. 16. seq. Et I. Cor. 5. v. 4. seqq. juncta 2. Cor. 2. v. 8.* Quo ipso refutantur nunc manifesto illi, qui existimant; clavium potestatem, Apostolis concessam, hunc effectum habuisse, ut publica ab iisdem pœnitentia indici, vel potius exclusio a communione fidelium externa fieri potuisset, ut opinatur M. A. de Dominis *L. 5. cap. 7. per tot. in ceteris consentiens.* Quapropter etiam Zieglerus *all. loc. Ita: Male, inquit, ad solum statum sed illa ad ecclesiasticum restringitur judicium excommunicationis, cum internum bo-* *ad totam Ecclesiam istud pertinet.* Et de *Superint. cap. 17. minem spe-*

sta sit requiratur,

Non sufficit hic sola ministri ecclesiæ auctoritas.

Clavium potestas non pertinet ad facultatem publicam imponendi penitentiam, sed illa ad internum bo-
S. 16. Clavis



§. 16. *Etsi vero, ait, in tali casu Pastores ad Superintendentem amandentur &c. Superintendentes tamen nec ipsi quidem potestatem habent arcendi aliquem ab usu Sacramentorum &c.* Add. Carpzov. *Jurispr. Consist. L. 3. def. 85.* Immo quidam hanc potestatem non solum Superintendentibus negant, sed ipsis etiam Consistoriis, & eandem inter reservata summarum potestatum referunt Conring. *ad Lamp. P. 1. §. 27.* quod quidem ultimum, si, ut deberet, cum poenitentia publica ecclesiastica comparatum esset, ego prorsus negarem. Ex dictis vero *supr. alleg.* illud certe adparet, hanc facultatem Apostolos non de se ipsis, sed de cœtu fidelium universo, prædicasse, illorum vero clavium potestas ad internum hominem duntaxat pertinuerit, & ad illos quam maxime se extenderit, qui dum nomen Christianorum nondum professi erant, prorsus obiectum esse non poterant ejusmodi exclusionis; quamvis hic mirari quis possit, quod illi qui omnia sibi tribuere poterant, nihil sibi tribuerint, nisi quod debebant, illi vero qui postmodum crescente papatu nihil fere habebant, omnia sibi debere existimaverint. Quapropter vel ex hoc solo liquet, potestatem clavium ne minimam quidem autoritatem, aut fundamentum receptæ inter pontificios excommunicationi majori vel etiam hodiernæ ecclesiasticæ poenitentiae facere; cum deficiente causa prima, omnino secunda admodum suspecta sit: & illis igitur tantum competit hæc facultas, si externam ab ecclesia exclusionem notare debeat, qui totum fidelium cœtum repræsentant, ut dictum, non vero parochis Ecclesiæ, qui saltem ei tanquam glebæ adscripti h. e. Ministri seu instrumentum sunt per quod, quæ jura cœtui cohærent hujus autoritate, modo prædefinito, expediri possunt & debent. Vid. Doctiss.

Dn.

Dn. Boehmer *de jure parochial, Sect. 3. cap. 1 §. 3. seqq.* Nec tamen hisce honori aut pietati ipsorum quidquam detrahitur.

Thes. XIII.

Hic igitur absque auctoritatum aliarum præjudiciis *Alia adhue* expositam habes meam, de potestatis clavium fundamen- *argumenta,* to, sententiam, argumentis corroboratam; Ad illas vero *quæ hanc in-* dissentientium rationes quam maxime respexi easque in- *rem adfo-* fringere volui, quæ aliquam speciem præ se ferre mihi vi- *runtur, reji-* debantur; cetera, videlicet, quando dicitur, potestatem clavium sacramentum esse *juxta Apolog. ipsam Augusti. Confess. ad art. de poenitentia pag. 167.* vel quod eadem per continuum successione ab Apostolis in hodiernos ecclesie ministros translata sit, vel quæritur, an ad jura ordinis an ad jura jurisdictionis pertineat? quæ ultima jura exulare debent a ministerio ecclesiastico, *de quo infr.* hæc, inquam, studiose supersedi; quoniam vel ex jam dictis possunt refutari, vel facilis ad eadem est responsio: Et quidem quod primum & ultimum attinet; illud quod per se nullum est, non poterit esse sacramentum, nec de eo interrogatio institui: ad quænam jura pertineat? ubi subfunctio erit facillima, ejusque probatio ex jam dictis fluit; quod autem ad *cit. Confess. August.* attinet, illa docet compilatores ejusdem fuisse homines & doctrina ipsa postmodum rejecta est Georg. Calixtus *de præcip. Christ. religion. capitib. Disp. 8. th. 31.* J. A. Schertzer. *System. theol. loc. 13. §. 10.* quod vero secundo loco dictum est, & ideo claudicat, quia diu ecclesia vera, præsertim quoad ecclesie ministros Spiritu S. imbutos, vel non fuit profusus, vel quod verius est occulta latuit; ab impiis vero & indignis mercenariis propter necessariam, ut supra dictum, relationem Spiritus S. & ipsius

psius potestatis, eandem exerceri, nedum continua successione propagari, aut transferri potuisse nemo dixerit. Consentiant huic nostrae opinioni multi inter theologos ac Ictos: Et uti nec ipsum B. Lutherum a nobis in totum dissentire *supr. ex eod. all. locis* ostendimus, ita & aliorum orthodoxorum verba pro nostra sententia adferri quirent, sed multas paginas hifce implere animus non est, & igitur illum, qui consentientes videre amat, remittimus ad elegantissimum librum Excell. Dn. Thomasio *sub tit. Bedencken/ über die Frage: Wie weit ein Prediger gegen seinen Landes-Herrn/ welcher zugleich summus Episcopus mit ihm/ sich des Binde-Schlüssels bedienen könnte? ubi in ratione decidendi secunda, & tertia*, ex Matthasio, Molinæo, Seldeno, Grotio, Pufendorffio aliisque, tam theologis orthodoxis quam Ictis, loca hanc in rem excerptis, quæ vel nostram opinionem in specie firmare possunt, vel etiam aliorum opiniones singulares, & dissensiones varias ostendunt. Pro Dissidentibus vel in totum, vel in partem, haberi possunt: M. A. de Dominis *de Rep. Eccles.* Voetius *Polit. Eccles.* Petr. de Murga *de benefic. eccles.* Oppalenus *cit. libr.* Balduin. *de Casib. Conscient.* Dedekenn. *Consil. theol.* Schertzerus *libr. all.* Brunnemannus *in Jure Eccles.* Carpov. *all. loc.* Lancellot. *Inst. Jur. Can. & ad hunc* Zieglerus. *idemq. de Episcop.* & novissime Joh. Bartholdus Niemeir *in tract. de discipl. Eccles. aliisque plurimi.*

Th. XIV.

Historia publicæ penitentiae antiquissima est.

Hinc tamen historiam penitentiae publicæ ecclesiasticæ antiquissimam esse nemo negabit, qui in monumentis juris ecclesiastici omnino hospes non est: jam enim temporibus Apostolorum sicque in ipsis ecclesiæ incunabulis penitentiam quandam externam in usu fuisse ex modo

modo deductis satis clarum esse potest. Quod vero ad ritus circa poenitentiam publicam indicandam, ab Apostolis observatos, attinet, & an certis quibusdam solemnitatibus & excommunicaverint & receperint poenitentes, modusque ac studium poenitentiae, pro ratione commissorum delictorum, ab ipsis datum, ac impositum fuerit poenitentibus, quae omnia, ceu regulam, Discipuli Apostolorum, (presbyteri deinde in Ecclesiis civitatum constituti, de quibus *Ep. ad Tit., c. 1, v. 5.*) cum peccatoribus observarent; de eo quidem ob plurimum obsoletam istius temporis antiquitatem nihil certi constat, ex puritate tamen, quae in Ecclesia illa primæva satis conspicua fuit, facile illud cuius rem penitus consideranti patefcet, quod ejusmodi ritus ac solennes excommunicationes usu non valuerint, quales vel ante apud Judæos, qua tales, erant, vel gliscens subinde ac crescens papatus introduxit, quæque maximum ad hierarchiam obtinendam, ac dominationem quandam Pontifici ac clero in seculum ædificandam experimentum fuerunt; Sed simplicem sine dubio primitivæ Ecclesiæ poenitentiae publicæ formam, ab ipsis Apostolis propositam ac *formalis poenitentiae A-* præscriptam esse omnino existimandum est; *postolica.* cuius tota solemnitas in eo constitit ac absoluta fuit, ut peccatores qui vel grave quoddam peccatum ex proæresi commiserant, vel specialiter ob dirisimas persecutiones diis ethnicorum thurificaverant, prius ad sacramentorum communionem non admitterentur, donec publice omnibus istius Ecclesiæ, in qua peccaverant, fidelibus de sincerâ illorum poenitentia, quatenus ex fructibus de eadem judicare possunt homines, certo constaret: Et si de hoc certiores facti essent, tunc sine dubio poenitentes in sinum Ecclesiæ iterum, summo quidem cum gaudio, & piis super ipsum precibus ad

G

Deum

*Dissentiant
Pontificii
Scriptores.*

Deum fundendis, absque tamen ullis solemnitatibus receperunt, iisque in amore Dei, ac charitate erga illos, communem sacramentorum usum denuo concesserunt; quæ omnia non obscure latent in dictis jam supra allegatis: *1. Cor. 5. v. 5. & 2. Cor. 2. v. 8.* Quod vero Pontificii scriptores hic nobiscum non sentiant, sed omnino etiam solemniter illi poenitentia, per varias variorum Conciliorum Canones introducta, Autores Apostolos constituent, ac illorum institutiones, ob datam iis a Christo Clavium potestatem, ab ipsis ordinatas; postea saltem per ejusmodi Canones confirmatas ac retentas esse affirmant, dubios hic nos non reddidit, utpote qui non ignoramus, illos non solere suæ ipsius impietatis proditores aut confessores esse; quamvis & hoc a nonnullis Pontificiis factum sit; inter quos conspicuus est M. Ant. de Dominis, (quem fluctuantem & inconstantem quidem in Religione fuisse notum est, sed inde illius iudicium in præsentia materia non sit invalidum.) qui in specie de poenitentia publica hoc passim in Libro de Rep. Eccles. asserit, quod eadem a prima Apostolorum institutione multum deflecterit, ac erroribus jam seateat quam plurimis. Minus in contrarium movent nostræ religionis scriptores, idem cum pontificiis asserentes, quippe nemini incognita esse potest, proterva Doctorum exscribendi ex aliis inclinatio ac consuetudo, ad principia illorum auctorum ac fundamenta non attendentium, quæ nihil aliud hic quam incautam errorum papalium propagationem gignere potuit. Nec denique sententiæ contrariæ connexionem aliquam facit dictum *1. Corinth. 14. v. ult. πάντα ἐν χημόναις καὶ ναρὰ δέξιν γινέσθαι.* quo nonnulli poenitentia papalis solemnibus ritibus auctoritatem datam esse contendunt; Si quidem nos ordinem quandam in Ecclesiasticis observandum

*Quos secuti
sunt Nostrae.
105.*

dum esse non inficiamur; sed saltem ordinem illum tot circa peragendam pœnitentiam a pontificiis excogitatum, nimis humanum ac in opere operato consistentem, ac hierarchiam sapientem, ab Apostolorum institutis ac traditionibus antiquis pro manare non admittimus. Ubi nostram sententiam firmat, quod ante *Concilium provinciale Ancyranum* & mox mox infecutum *Concilium Oecumenicum I. Nicœnum*, contra Arrianam hæresin, ad eandem damnandam, sub temporibus Constantini M. conscriptum, nulla in antiquitate ecclesiastica mentio fiat de solemnibus pontificiorum pœnitentiis, ex. gr. de quatuor pœnitentiæ stationibus obeundis, similibusve solemnibus ritibus circa eandem observandis; & quamvis de *pœnitentiâ legitima* sæpius quædam inveniantur, ut in *Can. 5. conc. Elibertini*, non tamen arbitrari probari posse, qualis hæc proprie fuerit, aut si hoc quidem invenitur, non tamen quod certum vel magnum pœnitentiæ intervallum, ac certæ illius stationes aut ritus pœnitentibus impositi fuerint, sed potius, si cui eo tempore indicta pœnitentia, hoc plerumque factum sit, secundum simplicem pœnitentiæ ab Apostolis impositæ rationem, *quam supra definivimus*, quo sensu pœnitentiæ in Concilio Romæ A. P. Chr. N. 250. contra Novatianam hæresin habito, his verbis sit mentio: *Illi qui lapsi fuerunt in certamine, fraterna commiseratione curandi & fomentis pœnitentiæ medicandi sunt. Vid. Summa Decret. Cornel. P. P. in Summ. Conc. Barb. Caranza Addit. Fr. Sylvii p. m. 36.* Et in *canon. Apost. can. 51.* hæc habentur de pœnitentiâ: *Si quis Episcopus aut presbyter, cum qui a peccato revertitur non recipit, (nihil autem hic de solemnitatibus ejusmodi subeundis dicitur, sed rejicit, deponitur, eo quod Christum offendat, qui dixit: ob unum peccatorem, qui respiscat, gau-*

Quid pro nostra sententia in contrarium faciat?

diu oboriri in coelo. Vid. all. ant. p. 10. Quæ omnia si jungamus cum eo, quod illis temporibus, videlicet Constantino M. Imp. Ecclesia Christiana per omnia fere a pristino pietatis nitore deslectere inceperit, ac mundus in ecclesiam introductus, illaque cum antea divina, ut *ajant*, tunc humana facta sit; quæ elegantissime docent scriptores juris Ecclesiastici Zieglerus *de dor. Eccl. & Arnold. in der Abbsidung der ersten Christen* / *alique quam plurimi*, inter quos novissime est Dr. Boehmer *de jur. paroch. Sect. II. cap. 2. per tot.* ac confirmant tot exorbitantia privilegia *in tit. C. de S. Sanctis Eccles.* magis manifestum redditur, quod antea diximus, totam pœnitentiæ ecclesiasticæ disciplinam, qualis per Conciliorum canones introducta in Ecclesiam, inventum hierarchiæ papalis esse, quo, ceu fulmine quodam, thronos ac coronas, suæ aviditati in seculum visibilem exercendæ potestatem resistentes, corripere possent. Et quamvis ex Tertulliano & antiquissimis aliis Patribus, infra forsitan etiam allegandis, non nulla loca adferantur, quibus usum solemnæ publicæ pœnitentiæ, certis stationibus ac diris ritibus subeundæ, primævum firmari quis existimare posset; Cum tamen nec apodictice constet, utrum hæc scripta autoribus adsignatis debeantur? de quo Bellarminus *lib. all.* nec quoque de necessitate absoluta, ritus illos subeundi peccatoribus, ex iisdem liqueat, vel etiam, quod licet quidam autores de his gradibus quandam mentionem fecerint, non tamen publica per concilia adprobatio ante dicta tempora addita sit: & quod maximum est, quam plurimos patres, qui stationum, ut putant pontificii, mentionem faciunt, de interna & secreta tantum pœnitentia locutos esse plerumque adpareat, ad quam internam pœnitentiam vocabula stationū imo proprie, quo-

Ratio dubitandi.

Responsio.

que referri possunt, ut adeo illorum nudo sono seducti, putaverint quidam, de fletu, de prostratione, aut consistentia publica pontificia apud eosdem sermonem fieri. (ubi quidem de audientia gradu illud in specie notandum, quod, quamdiu ethnici profylitæ catechumeri, aut in institutione fidei christianæ essent, illis etiam ante prædicta tempora, peculiare illud vocabulum tributum, & ipsi hi tyrones audientes dicti fuerint, ut ex Tertull. adparet.) ut adeo hæc satis assertionem meam, sup. propositam, vindicare possint.

Thesis. XV.

Cum ergo hæctenus ostensum sit, per tria priora ec-
Limitatio
 clesie secula non aliam fere pœnitentiam, quam institutis *prius dicto-*
 Apostolorum maximam partem analogam, in usu fuisse, *rum.*
 hisce nunc illud instar alicujus limitationis addendum est, quod illis temporibus, & uti existimo, mox desinentibus, canones quidam & libri pœnitentiales a presbyteris nonnullis compilati ac prolati fuerint, quibus aliqua pœnitentia norma ac determinatio, super quibusnam peccatis peragenda sit pœnitentia comprehendebatur, quorum canonum seu librorum pœnitentialium passim in antiqua Ecclesie historia a græcis & latinis patribus mentio facta reperitur *Vid. Addit. Sylvii all. loc. ad verba canonis: legitima pœnitentia peracta. Add. Svic. observ. sing. cap. i. de pœnit.* Cum vero horum pœnitentialium canonum tumultuaria congeries ac auctores incerti, & decursu temporis errores certi erant, hisque accedebat mira in parochiis ac presbyteris sacrarum rerum impericia, illi veræ publicæ pœnitentiæ obsuerunt mirum in modum, eique jamdum obscurandæ viam quandam muniverunt. *Thomasin. Vet. ac Nov. Eccl. Discipl. P. 1. L. 2. cap. 11. §. 7.* ut tandem horum librorum

brorum deficiens ac incerta auctoritas subinde anam de-
derit ad varia, ac non levia, inter ipsum clerum schismata
circa disciplinam pœnitentiæ ecclesiasticæ, ex quibus quo-
que sub octava Christianorum persecutione abominanda
illa Novatorum, a Novatio auctore sic appellatorum hæ-
resis, qua non solum illis, qui ethnicorum diis immolave-
rant, sed semel ex præresi lapsis omnis spes salutis adi-
mebatur, etiamsi digne pœnituisent, suborta est, illos gra-
tiæ divinæ solum committens, ac de cetero in totum de-
ferens, cui hæresi adhærentes superbo nomine catharos
h. e. mundos semetipsos vocabant; Propter quod Eccle-
siæ schisma tandem concilium sacerdotale a Cornelio Pa-
pa A. Chr. 250. congregatum, ac Novatiani in illo hære-
ticos damnati sunt *Vid. M. A. de Dominis de Rep. Eccl. L. 6.*

Quo tempo- re tandem gradus certæ poenitentis auctoritatem acceperint?
cap. 8. §. 141. & L. 7. c. 10. §. 74. Cum hæc ita non nimis
diu acta essent, & ubi jam magis magisque turbatio adprope-
grabat veræ Ecclesiæ, in eandemque sub Constantini M.
temporibus seculum involvebatur, congregata sunt con-
cilia Ancyræ & Nicænum I. *ut dictum supra.* Horum
conciliorum canonibus solennis ille publice pœnitendi mo-
dus, suppeditatus in hunc finem quatuor pœnitentium
certis stationibus ac stadiis, pro ratione commissorum pec-
catorum necessario subeundis, introductus est. *Vid. Zonar.
ad Can. Conc. Ancyræ. 21. & Balsamon ad eund. can. p. 783.*

Recensentur 4.) poenitentia stationes.
add. can. conc. Nicæni I. 11. & 14. Erant autem hæc qua-
tuor pœnitentium stationes sequentes: 1.) πρόσκλησις,
Hætus; 2.) ακρόσις, auditio; 3.) ὑπόκρισις, substratio; 4.)
Σύστασις, consentientia, *de quibus infra.* Harum quatuor sta-
tionum frequens est post tertium seculum in antiquitate
ecclesiastica mentio, quod pluribus videre est apud J. C.
Suicer. observ. singul. cap. 1. de poenit. per tot. unicum hic
ex

ex ipsius monumentis allatis, probationis causa, adjicio, quod ex *Basil. M. Ep. ad Amphiloeb. Can. 22. Tom. 2. pag. 769. de fornicatoribus* refert; quod græca lingua ab all. Aut. prolatum, latine sic se habet: *Est autem, inquit, in quatuor annis præfinita fornicatoribus poena. Oportet eos anno primo a precibus expelli & ipsos æstere ad fores Ecclesia; secundo ad auditionem admitti; tertio ad poenitentiam h. e. subtractionem, quarto ad congregationem cum populo, abstinentes ab oblatione, deinde eos permitti boni communionem.* Equidem ex his jam certum evadit, post tempora *all. Conc. An- egran.* illos, quos poenitentiam publicam agere oportebat, ad certas, vel quatuor adductas poenitentia stationes subeundas adstrictos fuisse, temporis diuturnitatem, pro ratione delictorum, determinandi potestate Episcopo relicta, qui quomodo ille accuratam discussionem scelerum omnium, earumque quibus ipsa scelera gravantur circumstantiarum, instituire debebat elegantissime docet *Capitular. Caroli M. L. 7. c. 204.* ubi ita: *Videndum, qualiter primo peccatum perpetratum sit, aut si postea iteratum, aut frequenter actum, si sponte, si coacte, aut per ebrietatem, aut per quodlibet ingenium factum sit &c. confer. caus. 26. qv. de poenit. & poenitent.* Verum tamen illud exinde non-
Doctrina de poenitentia publica fluctuans semper fuit.
dum expeditum est, quod poenitentia publica semper ex eo tempore æquali usu valuerit, cujus contrarium potius fundatum esse in historia ecclesiastica neminem, arbitror, fugit. Et quidem si animus esset, ac tractatio permetteret historicum hic agere, facile posset evinci & ostendi, quod prout crevit ac decrevit Pontificibus Max. seculare caput ac Majestas, ac prout vel superstitiosi vel astuti, potentesve vel minus potentes imperatores imperii clavum tenuerunt, ita quoque papale hoc poenitentia publica fulmen
exerc-

Quod probatur ex Thomafino.

exercitum fit in provinciis germaniæ; quamvis nunquam eidem pietatis pallium ac hypocritica vulpicula pellis defecerit; sed id nimis prolixum foret hic excutere; quapropter aliquas saltem, quæque rem ipsam attingunt, generales probationes ex Thomafino afferre lubet, ex quibus constare possit, post concilium Oecumenicum I, Nicænum, usque ad seculum quintum, tam de peccatis occultis confessis, quam de publicis, publicam quidem impositam fuisse poenitentiam, illam vero de peccatis occultis primum usu desuisse, post idem quoque sæpius contigisse ipsi poenitentia publicæ publicorum criminum. Sic *all. aut. habet. P. 2. Vet. ac Nov. Eccles. Discipl. L. 2. c. 7. §. 14. seqq.* Poenitentiarium partes primum fuerunt, ut si qui primam baptismi commaculassent innocentiam, eorum secretas audiret confessiones secretasque indiceret poenitentias; Si quis autem tale quid patyasset, quod sola elui poenitentia publica posset, eum ad difficillimos poenitentia labores remitteret. Accidit autem Constantinopoli, Nectario ejus Ecclesia clavum regente, ut foemina post factam poenitentiarium presbytero confessionem, palam & publice confessa sit, se a Diacono vitiatam fuisse, id quod non poterat non grave scandalum concitare; quapropter abstulit Nectarius de peccatis occultis publicam poenitentiam; facta omnibus potestate ut ad communionem eucharisticam accederent, & ei soli, cui collibitum esset, conscientia sua redderent rationem. Et paulo post ita: Post Nectarii decretum h. e. seculo quinto ineunte, occultorum criminum poenitentia publica in usu esse desuit, uti nec in usu est jam inde seculo duodecimo desinente. Eo enim tempore cepit rarissima esse poenitentia publica, cum quod ad occultata attinet crimina, pridem publica esse desisset. Et cap. XI. Non dissmulamus poenitentia mollienda licentiam, magis magis.

magisq̄ue iudices invaluisse, & questum illi fuisse patrocini-
 um, ex regibus, quorum auctoritas ab ipsis manaret conci-
 liis & §. 12. eod. Perrari sunt hodie, qui talem peragunt
 poenitentiam, qualem antiquorum poenitentium exempla &
 auctoritas canonica sancit; nunc in coetu Christianorum vix
 poenitentes agnoscimus, nunc a multis diversa flagitia per-
 patrantur audacter. Vehementer ecclesia perturbatur eo,
 quod jam impune a plerisque excutitur inconcussa illa lex ex-
 piande publica poenitentia & satisfactione infamiae publica
 gravissimorum criminum. Et cap. 13. §. 11. Decursu tem-
 poris factum, ut data presbyteris omnibus facultate absol-
 vendi a criminibus, Papae reservatis, quicquid supererat an-
 tiquioris publicae poenitentiae disciplinae funditus eversum est;
 dissipatumque frenum, quo a gravissimis sceleribus cohibeban-
 tur nefarii homines. Et cap. 16. §. penult. Paucis ante an-
 nis quam concilium Tridentinum indiceretur, in Gallia Ger-
 maniaeque vehementissima flagrabant vota restituenda poeni-
 tentiae publicae. In quo Concilio ita caput extat: In eccle-
 sia propter graves & publicas offensas publica poenitentia re-
 situatur; & sic passim. Confer. Goldast. Const. imperial.
 Tom. 5. p. 571. Haec omnia satis clare docent, quam diver-
 simoda & fluctuans circa poenitentiam publicam indican-
 dam traditio semper fuerit, & quam saepius illud ipsum
 papale idolum profugatum, quamvis prohdolor! semper
 si non in totum, ex parte tamen restauratum sit: Utinam
 aliquando cum reliquis omnibus pontificiae sedis sordibus
 penitus excutiendum!

Th. XVI.

Iis quae haecenus circa antiquitatem ac historiam poe-
 nitentiae publicae ecclesiasticae tradita sunt; ipsam nunc
 administrationem hujus disciplinae, quomodo videlicet &

H

per

*poenitentia
pro quibus-
vis ecclesie
temporibus
exponitur.*

per quos eadem administrata quibusvis Ecclesie temporibus fuerit annectimus: Quod igitur ad prima ecclesie incunabula attinet, jam supra facti sumus, nos cum aliis ignorare, quinam tunc temporis vere administrationis poenitentiae modus ac ordo fuerit; ubi tamen nostram opinionem simul adjecimus, quaeque hic sub incudem repetere non est necessum, quod vero administratores concernit, ex supr. allatis manifestum est, quod in primitiva ecclesia facultas excludendi aliquem ab externa communione non Apostolis, vel hodie ecclesie ministris sit tribuenda, neque ab illis hanc, suis etiam temporibus, sed a toto fidelium coetu exercitam fuisse: quando vero hujus facultatis administrationem & executionem Seniores ecclesie in quosdam ex coetu fidelium contulerunt, nullum est dubium, illos ipsos fuisse, qui pastores seu Ministri cujusvis fidelium ecclesie extiterunt; sive Episcopos illos sive presbyteros simplici nomine appellitare velis. Imprimis cum constet, quod ubi distinctas parochias, vel inter ipsos parochos dignitatis gradus in primis Ecclesie seculis Christiani ignorarent, ac Episcopi seculi negotiis, qua talibus, hactenus non intenti essent, omnem sacrarum rerum curam paulatim in Episcopos solos, successu temporis, translaram esse: si quidem tunc soli baptismum dabant, soli reconciliabant poenitentes, & cum tempore Apostolorum cuiusviro hactenus docendi facultas concedebatur, mox iidem quoque soli verbo Dei ejus gregem pascebant ac conciones habebant Vid. *Thomasm. all. libr. cap. 7. §. 8.* Immo quoniam coram impiis ethnicorum judiciis stare verebantur Christiani, etiam merito tunc temporis cum senioribus Ecclesie laicorum lites finiebant; quod Christianis postmodum magistratibus existentibus & persecutionibus cessan-

cessantibus, contra Evangelium de regno Christi a Pontificio clero retentum fuit. Illis igitur temporibus ad rem pœnitentiarum peculiaris presbyter constitutus nondum erat: Et quamvis ad secretas fidelium confessiones audiendas secretasque ac publicas indicandas, vel potius suadendas, pœnitentias temporibus Decianæ persecutionis jam inciperent, clericum aliquem specialiter constituere, coram quo conscientia suæ sordes exprimere poterant fideles, cum & antea inter se mutuam peccatorum suorum confessionem cum mœrore animi faciebant; Attamen necessitatem confitendi ac ex ore hujus presbyteri pœnitentiam subeundi fidelibus hoc ipso impositam uti judicat *all. Thomasin. add. loc. & cap. II. §. 1. 2.* aut de occultis peccatis pœnitentiam post factam confessionem, (quæ sine dubio res meri arbitrii tunc temporis fuit) publicam peragere ipsos oportuisse non existimo: Siquidem semper illius primitivæ ecclesiæ fideles vitam Apostolorum et Salvatoris imitari potius; quam alia dogmata se esse omnino credendum est: Petrus vero dum per peccaverat foras exibat, ac insolitudine pœnitentiæ tot lacrymis coram facie Dei peragebat ac nilominus obtinebat gratiosam remissionem. Hinc manet, quod decursu temporis demum, & ubi papatus jam plantari inciperet, factum sit, ut ad occultorum peccatorum confessionem ac pro illorum expiatione ac remissione peragendam publicam pœnitentiam fideles in conscientia se teneri persuasi sunt; ubi tunc presbyter ad hoc constitutus pœnitentiarius vocabatur, qui tamen vel raro, vel nunquam, nisi Episcopo agrotante, de peccatis publicis publicam imposuit pœnitentiam, sed illa potestas diu apud solos Episcopos mansit, *all. cap. §. 16.* Et cum de peccatis occultis publicam

H 2

pœni-

pœnitentiam iterum seculo quinto abstulerit Constantino-
 politanus Episcopus Nestarius, etiam hujus presbyteri pœ-
 nitentiarii ordinarii officium sublatum, ac arbitrium rur-
 sum unicuique relictum fuit, ut quibus velint presbyteris
 pœnitentes conscientia suæ rationes redderent, ac omnes
 ad eucharisticam communionem sine ejusmodi publica
 pœnitentia admitterentur. *all. cap. 7. §. 13. seqq.* Ab illo
 tunc tempore usque ad seculum decimum tertium vel pon-
 tifices ipsi, vel Episcopi, administrabant publicam pœnitentiam,
 aut alii presbytero specialiter hoc committebant; Seculo vero
 XIII. ab Innocentio III. quem patrem ac auctorem totius juris
 Canonici dicunt, constitutus est presbyter ad rem pœnitentiarum
 Vicarius Episcopi generalis etiam pœnitentiarius dictus,
 cujus vero officium ad omnes publicas pœnitentias indicendas
 & pœnitentes publice reconciliandos pertinebat: ut tamen
 quorundam graviorum criminum publica Ecclesiastica censura
 Episcopo vel ipsi Pontifici debebat reservari; ab ejusque potestate
 Parochi, qui suos proprios confessores habebant, Magnates,
 Optimates & Barones illorumque familiarum exemptæ erant,
 quas Episcopalis avaritia sibi retinebat. *Id. Thomasin. all. loc.*
 Cum vero tunc temporis crescere iterum inciperet pœnitentium
 multitudo, poterat tandem hic socium sibi adsciscere, siquidem
 solus non sufficiebat, omnes altaribus publice reconciliare;
 poterat quoque ea propter potestatem absolvendi parochi,
 in ejus loco delictum erat commissum, concedere. Et de tali
 pœnitentiario in Concilio Tridentino cautum, ut perpetuum
 dignitatis gradum habeat, nec aliquis ad hoc, nisi quis Doctor
 vel Licentiatum sit in theologia vel jure eligi poterat.
Id. cap. 8. §. 9. & c. 10. §. 8. Denique varia privilegia non
 nul-

nullis Magnatibus a pontificibus data sunt, ad eligendos suos
 arbitrio confessores, & confessores in omnem diocæsın ad-
 probati sunt, quibus & circa poenitentiam publicam indi-
 candam potestas concessa est *cap. 14. §. 1. in fin.* Quid in
 Ecclesia orientali obtinuerit, scilicet ibi Monachos medio æ-
 vo hanc potestatem exercuisse disserit *cap. XII.* Ultimo lo-
 eo notandum, quod cum olim certa crimina canonibus
 conciliorum expressa fuerint, quorum absolutionem im-
 petrandam Romam proficisci debebant poenitentes, hoc
 seculo XIII. & XIV. desitum esse; suprema nilominus in
 his omnibus potestate Pontifici ac Episcopis etiam hacten-
 us relicta. Et tantum de historia poenitentiae publicae
 peragenda apud pontificios usitata: Cui coronidis loco *Ritus qui-*
 saltem adjicimus, quam solennia quondam tam circa *dam antiqui*
 excommunicationem poenitentis ac poenitentiae indictio-
 nem, quam circa receptionem in usu fuerunt: Quando
 igitur olim poenitentiam publicam quis ingredi medita-
 batur, ille offerre se Episcopo debebat ad januas Ecclesiae
 sacco indutus, adstantibus cum candelis candentibus de-
 cem vel pluribus Decanis, archipresbyteris parochisque,
 qui cum peccator legem ordinemque ab Episcopo accipe-
 ret peragenda sibi poenitentiae; uno omnes tempore lu-
 mina sua super ipsum extinguebant, Vid. Regino *in Disciplina*
Eccles. German. L. 1. c. 37. 38. 57. 291. Cum vero recipi de-
 berent & remissionem peccatorum acciperent, hi ritus ob-
 servati extant *in c. 6. caus. 26. quæst. de poenit. & poenitentib;*
Diebus remissionis poenitentes genua flectant, & mortuos in
Ecclesiam afferant & sepeliant; die autem secundo domini-
eo non jejulent, & sepeliant; die autem secundo domini-
eo non jejulent, nam qui hoc die studiose jejuret, non cre-
datur esse catholicus; Deinde primum ad communionem
 sacramentorum admisi sunt. Notanda tamen hic quod

hos ritus huncque processum poenitentiae publicae pro universali non venditemus: Qui etiam hodie cessant; cum in jure canonico cautum est, ut quisque presbyter secundum suam prudentiam quomodo velit, pro ratione delictorum, poenitentias peccatoribus imponere debeat, Apud nos quot provinciae, immo quot civitates, vel pagi dantur, tot diversi etiam ritus circa poenitentiam publicam indicandam & subeundam obtineant, quorum tamen plurimi vel in totum papatum adhuc sapiunt, vel horum institutis adhuc pejores sunt, quod infra circa abusus poenitentiae nostrae hodiernae indicandos pluribus demonstrandum erit.

Thes. XX.

Quatuor sunt poenitentia ecclesiastica pontificia stationes.

Ad quatuor poenitentiae publicae ecclesiasticae praefinitas stationes jam revertimur. Est *prima προκλαυσις seu fletus*: Fletus autem & lacrymae character ac comes sunt plerumque verae & sincerae poenitentiae, quod exempla veteris & novi foederis Davidis, *Psal. 6*, Petri *Matth. 26*, aliorumque quam plurimorum satis illustrent. Verum illo sensu luctus ac lacrymae de poenitentia interna coram Deo, cujus amor a nobis laesus est, tantum praedicantur; alio modo se hic res habet in poenitentia ecclesiastica externa pontificia, ubi fletus non de interna aliqua animi ac spiritus passione ac contritione dicitur, sed duntaxat ritum quandam seu opus operatum significat in Ecclesia papali usitatum, quo extra portam oratorii oportebat peccatorem stantem fideles ingredientes orare, ut pro se precetur. *Greg. Ibaumaturg. Ep. Canon. can. 11. pag. 4. apud M. Anton. de Dominis de Rep. Eccles. L. 5. c. 7. §. 32.* Sive ut habet *Iustellus ad Canon. 5. Concil. Ancyran.* *Fletus dicitur, cum quis, admissio peccato, extra ecclesiam stans, cum luctu & lacry-*

lacrymis eos, qui ingrediuntur, orat, ut pro se misericordians
 Dei eliceant. *Add. Can. ex Basil. M. 22. 56. 57. 75. & Balsamom.* ad can. 2. *Dionysii Alexandrini.* Hic ritus quidem si-
 ne dubio originem ipsius verbi divini auctoritati acceptam ^{Fletus prima} statio anti-
 refert, quod scilicet sincere poenitentes in primitiva Ec- ^{quam habet}
 clesia aliorum fidelium precibus se commendabant pro e- ^{originem.}
 missione. Siquidem & nos illud agnoscimus, quod mul-
 tum valeant pro aliis piorum preces coram Deo juxta di-
 ctum *Ep. Jacob. 5. v. 16.* Quæ omnia confirmat *Suicer.*
Observ. Sing. cap. 1. de poenitentia cum de antiquitate hujus
 stationis disserit, his verbis: *Hujus stationis, nulla apud ve-*
teres ante Novati tempora sit mentio (immo nec hujus
 tempore qua peculiaris & primæ solennis poenitentia sta-
 tionis, quod supra demonstravimus.) *Interim tamen &*
ante Novatum ejus occurrant vestigia. Multi enim cum hu-
 militate, precibus, fletibus ac lugubri habitu poenitentes an-
 te fores Ecclesie prostrati, non modo ab Episcopo, sed etiam
 ab universo Ecclesie coetu preces postulabant, quod probat
 ex Tertulliano *Libr. de poenit. cap. 9. p. 169.* Sed cum huic ^{Imposita}
 salubri ac liberrimo negotio necessitas quædam legalis su- ^{huic stationi}
 peraddita, eidemque certi anni ac temporalis præfinita sunt, ^{necessitas}
 ut constat ex Gregorio Nysseno *Ep. ad Letojum can. 5. p. 111.* illam in to-
 120. ubi homicidæ dolo hanc stationem per decem annos ^{stium} vitavit,
 impositam videre habes, cum alias regulare tempus esset tri-
 ennii. illud ab Evangelii doctrina mirum in modum di-
 scesit & opus operatum factum est, circa quod recte ob-
 tinet dictum illud Salvatoris nostri: *Si omnia illa feceritis*
quæ sub lege continentur, servi nihilominus estis inutiles.
 Quam ob rem hic primus poenitentia publicæ ritus, uti
 est consideratus, merum inventum papale fuit, quod quam
 maxi-

maxime pharisaismum sapit, quo merito refertur effatum illud Christi D. N. *Matth. 23. v. 4. 5.* *Alligant ac imponunt in humeros hominum onera gravia & importabilia, digito autem suo nolunt ea movere: omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus, ac ut dilatentur phylacteria sua & sinitria magnifica reddantur.* ubi tandem hoc iudicium eius adjunctum legitur *v. 13. eod. cap. Ve autem vobis scribae & pharisaei hypocrita, qui clauditis regnum coelorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitria intrare.* Et sane Deus in opere conversionis, uti nec violenta remedia adhibet, ita etiam vere poenitentem ad eiusmodi nugae non vult referri, nec quoque talem tot annis inauditum relinquere potest; (quamvis ad poenitentiam tempora hominibus saepius concessit & concedit hodiernum de quo *Gen. 6. v. 3.*) Si quidem hoc ipsi infinita sua misericordia ac tenacissimus erga genus humanum amor non permittit, potius ubique in verbo suo se declarat, se non remotum esse velle a precibus clamantis peccatoris poenitentis *Pf. 145. v. 18.* Ille vero quem Deus gratiae suae dignum fecit, cur ab hominibus amplius, si etiam coram illis deprecetur commissa peccata quae scandalum dederunt excluditur? ac sacramentis & auditione verbi divini frui non admittitur? Dicit homini ex fructibus de alterius poenitentia iudicandum esse, cum vero de illis non statim constare possit, non improbandum esse, ad hoc certum temporis intervallum praesumere; sed facilis est responsio: nullam enim haec duo connexionem habent, velle ex fructibus de alterius poenitentia certum esse, & velle ut alter praecise tribus vel pluribus annis hos fructus doceat, nec ante illud tempus illum in Ecclesiam ac ad sacramentorum communionem recipere, in illo consistit finis proprius poenitentiae

Quod argu-
mentis cor-
roboratur.

tentiæ ecclesiasticæ, in hoc abusus est evidens. Forte tota res eo redit, ut pœnitens etiam in his externis obedientiam ostendat erga Ecclesiæ observantias, & res salva est, modo obedientia illa non alteret naturam negotii, vel verbo divino conformis sit, nec domini prædicantes per Ecclesiam cucullum clericale intelligant, quod hic ita esse jam allata satis firmanr,

Th. XIIX,

Altera & secunda pœnitentium statio erat *angòaris*, *Altera pœnitentie statio examinatur.*
auditio. In hac statione idem accidit quod de prima jam docuimus. In tribus prioribus ecclesiæ seculis & maxime temporibus Apostolorum & horum discipulorum moris erat, ut quibus imposita pœnitentia, sicque a mysterio- rum communione ac usu exclusi erant, nihilominus per- mitteretur evangelium ac verbum Dei cum aliis fidelibus audire, ut scilicet eo ipso magis magisque ad pœnitentiam & peccatorum agnitionem præparentur, ac facilius respi- scere queant, ac per Sacramentorum solamen ad fidei ro- bur eo citius iterum venire possint. Et hoc non solum non improbandum, quin potius maxime ipsi verbo divino conforme æstimandum sit *Matth. 6. v. 15. Matth. 9. v. 13.* Sed nunc venit papatus, & certum locum & certum tem- *Quam pa- palis impie- tas prorsus improbam effecit.*
 pus hic iterum designat pœnitentibus, quod ex iisdem ra- tionibus, quas de fletus statione jam adduximus impugna- tum erit. Ita vero *Auditio* juxta hypothefes pontificio- rum describitur, quod sit *statio intra portam in Narthece,* seu *intra porticum magnis ecclesie portis connexum, in quo loco poenitentes stabant, ac divinas, tum veteris, tum novi foe- deris scripturas & conciones sacras audiebant, quibus finitis u- na cum catechumenis egrediebantur.* Sic habet Gabriel, Phi- ladelphix Metropoli- *in Libell. de poenit. cap. 10. Audi- tionis*

tionis locus est, intra portam templi, videlicet in narthece, in quo stant audientes & hymnorum sanctarumque scripturarum lectionem & doctrinam audiunt. Quod ad tempus huic stationi imponi solitum attinet, vid. can. 14. conc. Niceni I. ubi sic: De catechumenis qui lapsi sunt, placuit sanctis & magnæ synodo, ut tribus annis inter audientes tantum sint, post hæc vero cum catechumenis orent. Ad quem canonem ita Balsamon: Sancti patres definiunt talem non esse simpliciter rejiciendum in locum catechumenorum, si revertatur, sed prius triennio extra templum stare cum audientibus, eo autem completo in priorem statum & ordinem catechumenorum recipi. Circa hanc stationem illud vere abominandum est, quod concilia antiqua voluerint; illum qui quidem sic ad auditionem verbi divini admissus, non tamen precibus ad Deum fundendis interesse debere, quod probant Greg. Thaumaturus. Ep. can. all. can. ult. p. 41. & Balsamon p. 916. Ubi in hæc verba conspirant: Audiens, inquit, scripturas ac doctrinam, precatione indignus censeatur. Et Greg. Nyssenus ep. ad Letojum can. 4. tit. 11. p. 119. Est ergo canon ejusmodi, ut qui in fornicatione polluti sunt, tribus quidem annis ab oratione omnino expellantur, tribus autem annis sint solius auditionis participes, tribus autem aliis cum iis, qui in conversione succumbunt precentur, & tunc sacramentorum sint participes. Add. can. 5. de homicida pag. 120. Hæc manifesto contra S. Scripturam ita observata esse, nemo ignorat, qui quasdam saltem ejus paginas inspexit, sed hæc non immorabimur. Ut vero hæc tenus dicta, cum aliquadantenus obscura sint, distinctius intelligantur; non penitebit sequentia hic ex sæpius allegato Svicero Observ. sacr. sing. cap. 1. de poenit. excerpta videre: Antiquarum, ait, Ecclesiarum partis adificiorum quodam

Quid hic maxime iniquum sit?

dam conjunctum semper fuit, quod vestibulum προπύλαιον, πρὸ πυλῶνος καὶ πύλωνος merito dici potest. Hoc adificiolum propter figuram suam, qua longitudine multis partibus latitudinem excedebat, a græcis Ναβηζή ferula dici consuevit. Hanc denominationem posteriores græci Monachi reliqua ecclesia suæ, qua a choro suo dividitur, postmodum tribuerunt, quod postea græcis occasionem dedit ecclesiam in tres partes distinguendæ. Sic ingredientibus in ecclesiam primo occurrit area sive Ἰπαιθεῖον, ubi προσκλαυθῶνος silentium erat statio, pro-gredientibus succedit adificiolum illud seu vestibulum portis ecclesie adherens, atque in eo ad limen usque portarum constituta erat ἀναγνώστως, audientium statio &c. Hanc stationem antiquiorem originem non habere, quam supra diximus, non indiget ulteriori probatione, siquidem ex jam dictis & antea positis, iterum repetitis, hoc satis clarum esse potest.

Origo h. stationis.

Thes. XIX.

Sequitur tertia pœnitentium statio ὑπὸ πτωσίς sive sub-De tertia stratio dicta, quam stationem exomologesin vocat Tertus pœnit. statione. *lianus L. de pœnit. c. 11. p. 169.* Idem eam sic definit *all. loc. ne.* Exomologesin, inquit, prosternendi & humiliificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordie illicitæ. Debebant enim, uti ille exprimit, in hac statione constituti, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccarunt, tristi tractatione mutare &c. Nullum est dubium hunc pœnitentia gradum ipsi verbo divino veteris & novi testamenti *Ejus occasio.* originem aliquam debere, in illis enim passim peccatores ad pœnitentiam in sacco & cinere peragenda mhortantur, & exempla varia obvia sunt; ac proinde haud potest inficias iri, eundem in primitiva quoque ecclesia omnino

frequentatum esse: ejusmodi enim prostratio de humili-
 cato hominis coram majestate Dei animo quam maxime
 testatur, & utique illex dici potest divinæ misericordiæ.

*Nullum in b.
 stratione me-
 ritum.*

Nihilominus tamen non existimandum, quod in hac pro-
 stratione vis aut meritum quoddam obtinendæ divinæ gra-
 tiæ ac remissionis consistat, vel necessarium constituat ve-
 ræ ac sinceræ poenitiæ requisitum; Sed hoc potius ex
 fervore pii animi & charitatis æstu tantum æstimandum,
 & quocunque etiam signo externo in homine id se exserat
 perinde habendum est: Nam Petrus qui lacrymabatur,
 & publicanus qui cor tundeat, utrique poenitentes, gra-
 tiam obtinuerunt. Quando vero nihilominus prostratio-
 nem peccatoris coram Deo commendamus, unusquisque
 facile perspicit, illam a nobis intelligi, quæ sua sponte, di-
 vino sic cooperante & ducente spiritu, ex agnitione pro-
 priæ miseræ & majestatis supremi Numinis interna veneratione procedit, quæ etiam si publice inter fideles primæ
 Ecclesiæ, proscripito pharisaico spiritu, voluntario facta sit,
 nullatenus improbanda est. Sed quis nescit, aliam pro-

*Alia est sub-
 stratio illa
 pontificia.*

stratio fuisse substrationis faciem effectam, cum illa tertia poenitentium statio jam incipiebat salutari, quod uti supra de omnibus affirmavimus poenitiæ publicæ solennibus stationibus, illo demum tempore factum esse certi sumus, cum jam religio interna, tota fere externo divini Numinis cultu absolveretur, ac regnum Christi contra ipsius natura-

*Quæ prostratio
 humana &
 in opere ope-
 rato consistit*

ram ac voluntatem imperium mundi adpeteret. De hac igitur substratione externe poenitentium non idem dici potest, quod scilicet & illa de animo humiliato testimonium præbeat; quin potius eo hominem queat deducere, ut existimet, in illa externa per tot annos vel ad tempus faciendæ genuum flexione, meritum quoddam adipiscen-
 da

da æterna salutis, aut obtinenda divina misericordia con-
 sistere, uti hæc & similia sine dubio bonorum operum a-
 pud pontificios satisfactoriam prædicationem prodixerunt,
 Quapropter etsi concedi posset, illam legalem poenitentia
 stationem pio animo imponi, ac optimo spiritu nihilomi-
 nus subiri posse, ac exinde non improbandam esse, aut ex
 omni parte Christianæ religionis veris dogmatibus con-
 trariam judicandam, manet tamen superflua & in compe-
 tens spirituali clericorum officio, nec quicquam etiam ve-
 re facit ad ecclesiæ scandalizata, ut loquuntur, satisfactio-
 nem. Ut autem rectius constet, qualis hæc tertia poeni-
 tentium statio *ὑπόπτosis* seu substratio apud Pontificios
 fuerit, paucissima insuper adducenda sunt. Et quidem ex
 ipsis Conciliorum antiquorum canonibus id ipsum vix col-
 ligi poterit. ex Dionysio Ariopagita vero constat, in *L. de*
Eccles. Hierarch. cap. 5. p. 313. substrationem nihil aliud fuisse,
 quam *γονυλάσειαν* seu genuum flexionem, una cum ip-
 sius corporis incurvatione: ea enim ratione in hac sta-
 tione constitutus poenitens se submittebat succumbebat-
 que in Ecclesia, ut loquitur Sozomenus *Hist. Eccl. L. 7. c.*
16. p. 98. Locus hujus substrationis erat intra templum
 retro ambonem: Exire autem e templo debebant, simul
 cum catechumenis, seu fidei Christianæ, uti vocantur, ty-
 ronibus, cum illud; *quicumque catechumeni estis discedite,*
 a Diacono promulgabatur; quapropter etiam hæc statio a
 nonnullis a *precibus abdicatio* seu a precibus eucharisticis
 expulsio appellari consuevit, quia eum synaxis inchoanda
 erat, ecclesia ejiciebantur. Vid. *Suicer. all. loc.* Nonnulli
ὑπόπτosis pro omnibus poenitentia stationibus seu pro to-
 to poenitentiali actu sumplerunt, cujus probatio habetur,
 in *Can. 4 Conc. Ancyran.* quod forte ideo factum est, quia

*Ejus forma
 & indolis.*

in illo gradu poenitentia quam maxime sese exferere debebat; Paulo alio sensu hanc stationem *μετάνοιαν* seu poenitentiam vocat Basilius *can. 22. p. 769.* cujus hæc ibidem verba sunt: Oportet eos anno primo expelli a precibus & deslere ad fores Ecclesiæ, secundo autem ad auditionem admitti, tertio ad poenitentiam, quarto ad congregationem cum populo. Quod ad tempus circa hunc gradum frequentatum attinet, illud ut in ceteris stationibus pro modo & pondere commissorum peccatorum ab Episcopo designatum fuit; ut hoc *in Conc. Ancyran. can. 11.* decem & *can. 16.* quindecim annorum statutum reperitur,

Th. XX.

*De quarta
poenit. sta-
tione,*

Denique ad quartam seu ultimam poenitentium stationem accedimus, quæ *εὐσέβεια* consistentia dicebatur. De qua ita Greg. Thaumaturg. *Ep. Canonic. can. ult. pag. 41.* Consistentia est ut poenitens cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non egrediatur. Sive ut habet Gabriel Philadelphiæ Metropoli *L. de poenit. cap. 16.* Consistentia est locus, in quo illi, qui poenitentiam egerunt, & sufficientem canonem executi sunt, consistent & cum fidelibus precantur. Ex his quidem liquet, plus consistentibus quam substratis eo indultum esse, quod illis concessum fuerit synaxi & eucharisticis precibus interesse, insuper verò notandum est, quod non tamen ipsi participes facti fuerint S. coenæ, nec eis jus oblationis concessum esse; sed horum hactenus indigni censebantur. Soliti enim erant olim fideles S. coenæ adstantes, nisi summa paupertate excusarentur, munera sua in mensam sacram conferre; Si igitur quidam illa poena mulcebantur, quod munera eorum ut fidelium non reciperentur, illi etiam non poterant, communicare corpore Christi, utpote quibus non lice-

licebat offerre panem & vinum, quæ ad usum S. coenæ consecrarentur. De antiquitate & tempore hujus stationis idem dicendum est, quod de reliquis monuimus supra. Cæterum in hac statione vera antiqua forma latet apostolica poenitentia ecclesiastica, retro exposita; ut scilicet ille, qui sciens & coram populo primam baptismi commaculasset innocentiam, maxime autem illi, qui apostata facti essent, prius ad eucharistiam Christi non admitterentur, donec omnibus de emendato animo ac sincera illorum poenitentia satis constare possit; quapropter & hæc poenitentia statio non rejicienda aut in totum improbanda erit, si modo illud in eadem purgetur, quod papale est, ut præcise ad tempus & annorum spatia demetiat, vel solus presbyter illam pro præfensa sua ecclesiastica potestate & propria auctoritate illam imponat: ceterum enim hoc christianismo utique & maxime convenit, ne impoenitentes, qua tales, ad S. coenæ communionem veniant; quod prolixè supr. ostendimus.

Est illa apostolica poenitentia maxime partem analogam.

Thes. XXIV,

Quatuor itaque his jam explicatis poenitentium solemnibus stationibus seu gradibus absolutis, poenitens de-
 mum dignus judicabatur, qui ad communionem S. corporis & sanguinis Christi admitteretur, & hæc S. coenæ participatio ad actum poenitentia non ferebatur, utpote quantum hujus complimentum, fructus finis & perfectio dicebatur. Vocabatur autem hæc S. eucharistia participatio, seu communicatio mysteriorum *μετέθεσις*. & in solenni ac plenaria poenitentium in Ecclesiam receptione & cum eadem facienda reconciliatione consistebat; quo sensu sæpius dispositum invenitur; quod poenitentes debuerint altaribus publice reconciliari Vid. *Concilia Gallic. T. 3. pag. 635*, ubi ita; *Poenitentialium canonum*

De complemento poenitentia.

num rigori facere satis cogendi sunt, atque ita demum publice & solemniter altaribus reconciliari. Sæpius quoque apud alios juris ecclesiastici scriptores hujus perfectionis, ut ita loquar, poenitentiae mentio fit. Confer, *Thomasin. de Veter. & Nov. Eccles. Discipl. P. 1. L. 2. c. 11. §. 8. M. A. de Dominis de Rep. Eccles. L. 5. cap. 32. Suicer. loc. cit.* Ex quibus constare potest, per manuum impositionem ipsius Episcopi poenitentes primum publice a peccatis suis absolutos, & tunc ad S. coenam admissos esse; quamvis & alia solemnia hic observata, quæ in variis ecclesiis varie dilata fuerint, quapropter vero talia merito hic non adducimus. Fuit ergo hic dies receptionis in ecclesiam dies honoris poenitenti, & gaudii toti ecclesiae, quod juxta dictum *Lyc. 15. v. 7.* non immerito ita observatum est.

Thes. XXII.

*Definitiones
apostolicae &
pontificiae ec-
clesiasticae
poenitentiae.*

Hæc igitur, uti exposita, publicæ ecclesiasticæ pontificiorum poenitentiae facies est, & historia a primis ejusdem incunabilis petita; Accedimus nunc ad Definitiones tam apostolicæ quam pontificiorum publicæ poenitentiae. Ecclesiastica ergo primitivæ ecclesiae poenitentia nil aliud est, quam simplex quædam peccatorum ab externa fidelium communione eum in finem facta exclusio, vel ut peccatores, brevi poenitentiae per bonos fructus edendæ via, ad christianam iterum peragendam vitam hac ipsa incitentur, vel ut non resipiscentes a vere fidelibus dignosci queant, nec illorum impuri mores christianæ religionis ab ethnicis amplectendæ offendiculo esse possint, a toto christianorum cœtu non per modum aut intentionem poenæ, sed saltem propter necessariam tunc temporis ecclesiae puritatem suscepta, nullo hic certi temporis intervallo præfinito. In quibus hujus poenitentiae differentia speci-

Specifica, objectum, causæ efficiens & impulsiva, ac finis la-
 tet. Supra jam ostendimus, quod hæc exclusio ab exter-
 no fidelium cœtu absque ullis solennitatibus, quæ pote-
 statem quandam externam sapere potuissent, sine dubio
 facta sit; quapropter eandem non tam affirmativam ex-
 clusionem fuisse existimandum est, quam simplicem duntaxat
 mysteriorum sacramentalium communionis dilatio-
 nem, cujus sacramenti usus frequentior tunc erat, quam
 hodie. Nunc ergo de Pontificiorum poenitentia; quæ de-
 finiri potest; quod sit; *Excommunicatio quedam solemnis
 & poenalis, certis excogitatis ritibus exequenda; qua susce-
 pta, præfinito ad hoc temporis quodam intervallo, per certas
 æque effectas stationes seu gradus, pro lubitu clericorum vel
 mitigandos, vel exacerbandos, poenitentiam peccator pera-
 gere cogitur, & sic demum ab ecclesia recipitur.* Quapro-
 pter rectè vocatur: *Castigatio publica & ecclesiastica, pœ-
 na publica, & canonica operis satisfactio* Carpz. *Jurispr.
 Consist. L. 3. tit. 7. def. 82. n. 7. & gladium spirituale, sed gla-
 dio hujus mundi haud dissimile.* Reliquæ vero denomina-
 tiones & synonymiæ vim ejus non exhauriunt, & ad lar-
 vandum duntaxat hoc terriculum, ex patribus primitivæ
 ecclesiæ, qui de ecclesiastica poenitentia suorum temporum
 scripsere, retentæ fuerunt; Nominatim: *Spiritualis re-
 conciliatio ecclesiæ offensa; proclamatio publica hominis la-
 psi, quæ tamen, ex retro dictis, limitationem quandam re-
 cipit; exomologesis; quæ confessionem coram omnibus no-
 tat.* Tertullianus *libr. de poenit. Humillima poenitentia can.
 22. de poenit. dist. 3.* vel germanico idiomate: *öffentliche
 deprecation und Abbitte; öffentliche Versöhnung mit
 der Kirche/ öffentliche Wiederaufnehmung der gef. I-
 lenen.* Carpz. *all. loc.*

*Divisiones
Pontif. poe-
nitentia.*

*Quid priva-
ordinaria?*

Pœnitentia ecclesiastica dicitur vel publica, vel priva-
ta, & hæc iterum distingui potest in ordinariam, vel extra-
ordinariam; illa vero in solemnem & legitimam, Privata
pœnitentia ordinaria est confessio peccatorum vel deter-
minata, quæ in specie dicitur auricularis, vel indetermi-
nata Vid. Thomasin. *de Veter. & Nov. Ecol. Discipl. P. 1. L. 2. c. 8. §. 9.* parochæ seu presbytero confessario ad exone-
randam conscientiam & consolationem aliquam obtinen-
dam facta *arg. illius dicti Ep. jacob. cap. 5. v. 16.* sine dubio
primum introducta: quamvis ibidem non de confessio-
ne sacerdotibus facienda, sed in genere de reconciliatione
fratrum inter se sermonem tantum esse recte doceat Apo-
log. August. Confess. *ad Art. de confess. & satisfaction. p. 181.* (ad quem locum etiam supr. respeximus th. 16.)
Quantam vero hæc ipsa pœnitentia transformationem pas-
sa sit, dum auricularis & necessaria fiebat, papatu subinde
magis magisque increfcente, & quousque & nos hic ha-
stenus papistizemus, vel meliorem doctrinam amplexi si-
mus ad forum Theologorum spectat ostendere; quamvis
& quædam hic a nobis delibata sint *supr. th. 11.* origi-
nem vero ejusdem indicavimus th. 15. Add. hic Confess.
August. *Art. 11.* B. Lutherus in *seinen Tischreden cap. 14.*
sub hac rubr. p. 191. Carpz. *cit. libr. L. 2. Def. 275. 276. n. 8.*
& *10. L. 3. tit. 2. def. 25.* Ziegler. *ad Lancellot. L. 2. tit. 5. §. 5.*
Dn. Boehmer. *de jur. paroch. Sect. 4. cap. 1. §. 18. seqq.*
cum pluribus ab eodem ibidem allegatis. Illud hic tandem
non prætereundum est, quod cum sincera hæc cordis de-
nudatio nullum respectum habeat ad eum, cui illa fit, pa-
rochum; sed saltem humillima quædam cum Deo locu-
tio esse debeat hæc peccatorum confessio, sua sponte in-
sequa-

sequatur, nullam hujus a parcho revelationem fieri debere, quia ipsi non facta est sed Deo. *can. 2. vers. caveat autem X. de poenit. & remiss. cap. 2. dist. 6. de poenit.* Confer. elegans locus apud Carpz. *all. loc. ex Luthero desumptus: Cui add. Dede kenn. Consil. Theol. Vol. 1. P. 3. sect. 3. De poena hujuscemodi revelationis Vide Institut. jur. Can. Lanc. L. 2. tit. 5. Extraordinaria privata ecclesiastica poenitentia magis ex principiis papisticis fluit, estque illa: Laborum quorundam poenitentialium, ex praescripto sacerdotis, post confessam peccata susceptio, privatim peragenda, omnibus illis usitata, qui a publica poenitentia conciliorum canonibus exempti, ut imprimis sunt sacerdotes Vid. Theol. quidam Parisiensis Joh. Filisacus *de poenit. cap. 2.* sed de his infr. Peragitur haec poenitentia de peccatis occultis, & ipsa quondam publica fuit. Vid. *ib. preced. 14. 15. & 16.* Uti vero hodie pontificiis in multis locis usitata est, mixta dici posset: Wann sie sich nemlich in Masquen auf vielerley und oft narriſche Arthen in denen solennen processionen öffentlich casteyen/ welche Buſſe einiger massen derjenigen gleich ist/ die von des Herodis Krieges Knechten/ durch Zwang das hölzerne Creuz Christi zu tragen/ dem Simone von Cyrene ist auferleget worden: wiewohl dieser ohne Masque gehen müssen. Quonam vero fundamento gaudeat haec praesumpta pro peccatis satisfactio, omnino colliges, si expenderit: quid infinito par sit, aut quid summo aequale? Certe non opus est antevertere judicium Dei, qui tibi satis ipse & quantum ferre poteris imponet, si id ipsum, Tibi in animo vere poenitenti necessarium aut proficuum, illi videbitur: quis enim non habet causas anille doloris? & illa sane castigatio crucis Christi, omnino libenti animo suscipiendae, nomen non meretur. Dicunt*

Quid privata
extraordi-
naria?

cunt quidem hic ipsi pontificii quidam; hanc a confessario injunctam poenam argumentum potius divinæ clementiæ esse, quam satisfactionem Opalen. *de officiis L. 3. de pietate cap. 2. pag. 296.* Verum & illius divinæ gratiæ longa præstantiora argumenta extant; sin autem argumenti vocabulum certitudinem hic notare debet, illa non in corpore persentiri, sed animo & in anima percipi debet. Ab hac privata ecclesiastica poenitentia differt, ut diximus, publica solennis; quæ in capite quadragesimæ, vel hebdomada quadragesimam præcurrente poenitentibus conjunctim imponebatur, eo fine, ut dignis poenitentia fructibus, per quos carnis macerationes intelligebant, se emacularent, quo puriores paschalibus festis ad cœlestis & immortalis agni vescendas carnes accederent. Thomasin. *all. libr. P. 1. L. 2. cap. 11. §. 1. in fin.* quapropter illa etiam quandoque publicam legitimam poenitentiam insequebatur, ac perfectio, & quasi complementum priorum quatuor graduum, dicebatur; qua tunc quoque insuper peracta, in sinum ecclesiæ iterum recipiebantur. Quia vero ejusmodi poenitentia gravis nihilominus erat, quamvis non diuturna, solis laicis hæc subeunda fuit, & putativa cleri pontificii sanctitas illa indigere non credebatur. Publica denique legitima poenitentia, quæ singulis personis, pro ratione delicti, imponitur, illa est, de qua loquuntur jam add. loca, quæque *th. præced.* definita, & in tota Dissertatione h. jam prolixius depicta est. De cujus variis effectibus nunc porro disquisitionem instituemus.

Thes. XXIV.

Effectus poenit. eccles. differunt pro

Effectus publicæ pontificiæ poenitentia variis sunt, quorum alii putativi & imaginarii: alii veri: & horum iterum aliquis apostolicæ quoque poenitentia communis; quidam

quidam huic poenitentiae proprii dici debent : Quam distinctionem, qui de hac materia scripserunt, negligent, ^{ratione pri-} nec differentiam inter poenitentiam publicam primitivae ^{mitivae &} & pontificiae ecclesiae animadvertentes, nihil hic, quam ^{pontificiae ec-} mirum confusum chaos exhibuerunt. Pro effectibus putativis seu imaginariis habendi sunt sequentes 1.) quod dicitur huic ipsi poenitentiali actui, certis ritibus subeundo, ^{Alii sunt pu-} meritum quoddam obtinendae divinae gratiae inesse Vid. ^{tativi, qui} *sepe all. Opalen. loc. cit. 2.)* quod in excommunicatione constitutus, & ita mortuus, salvus credi non possit, ^{reconsentur.} 3.) quod homo in banno ecclesiastico seu excommunicatione mortuus ab igne non possit consumi, quam fabulam pro ludicro refert Seldenus *sepius cit. libr. 1. c. 10.* & denique 4.) quod ab illo, qui in excommunicatione constitutus est, ne quidem canis cibum sumat, ut notissima est de Ludovico Bavaro fabula Vid. *Historischer Bilder-Saal P. 3. pag. 639.* quae nugae ne quidem refutationis mercedem pensant, & quae sunt alia plura, quae contra naturam negotii & ejus virtuales efficaciam adducuntur. Ad veros publicae poenitentiae seu excommunicationis ecclesiasticae effectus, ut tales de facto constituti, & sic pontificiae ^{Alii veri, sed} ecclesiasticae poenitentiae proprii sunt, haec referunt : 1.) ^{poenit. pontif. proprii.} ut aliquis ante statutum tempus, vel antequam omnibus molestiis, juxta voluntatem presbyteri vel pontificis, non adamusim satisfecerit, non sit recipiendus in ecclesiam, quod nihil aliud dictum est, quam quod in excommunicatione constitutus, nisi per omnia ad tibiam cleri seu pontificis saltaverit prius, etsi alias satis bonus sit, nil omnino excommunicatus manere debeat : illo tantum excepto, qui in fugientis vitae discrimine constitutus esset, cui tamen ad sancti olei sacramentum, quod ad coelum aperien-

riendum aptum creditur, obtinendum, necessarium erat
 ecclesia aliquid relinquere *juxta Salviani commentum*:
 quamvis in priori etiam aliud quandoque statutum quid
 reperiatur; 2.) quod excommunicatio etiam in negotiis ci-
 vilibus, vim civilis inhabilitatis tribuat Vid. *Capitul. L. 5. c.*
42. L. 6. cap. 140. L. 7. cap. 331. apud Lehmann. in *Chron.*
Spirens. quapropter nequit esse iudex, actor aut Procura-
 tor Lancelot. *Inst. jur. Can. L. 3. tit. 2. §. 13.* etiam ad di-
 cendum testimonium non admittitur excommunicatus,
 forsitan quod ad iuramentum inhabilis est. Mascardus *de*
Probat. Vol. 4. Concl. 1363. n. 35. Berlich. *P. 2. Decis. 299. n.*
4. sed quousque valeat hæc ratio, scilicet quod hic ex u-
 no falso principio sequantur plura, de eo vide *Disp. Excell.*
Dn. J. S. Stryckii de testimonio injurato. Excommunicatio-
 ne vero peracta non noceat in civilibus *cap. 17. X. de ho-*
mucid. 3.) quod, qui in solenni est poenitentia, matrimo-
 nium inire non possit. *Concil. Arelatenf. 2. cap. 21. & Tole-*
tan. 5. 7. 4.) quod Maritus uxorem adulteram post pera-
 ctam ab eadem publicam poenitentiam iterum recipere te-
 neatur *can. quod a. 7. caus. 32. qv. 1.* juncto *can. non erit 8.*
ead. caus. & qv. 5.) quod a dignitatibus imprimis eccle-
 siasticis sit repellendus poenitentiam agens vid. Bayrling.
in Magn. Theatr. vita human. sub voc. poenit. 6.) quod
 sit poena, & poenæ loco imponi, per eandemque delictum
 expiari etiam quoad forum externum possit; quod vero
 postea aliquadantenus restrictum fuit; 7. quod infamiam
 seu maculam inurat poenitenti excommunicatio *Concil.*
Toler. 4. cap. 53. add. c. 2. §. porro caus. 3. qv. 7. quod quidem
 nonnulli hoc modo palliare solent, ut poenitens non pro-
 pter poenitentiam peragendam, sed propter crimen, legi-
 bus infamia notatum, infamis fiat Vid. *Myasinger. Obs.*
Pr.

Pr. Cent. 3. Observ. 58. observantia tamen ecclesie pontificie in contrarium hic conspicua est, quamvis actus receptionis poenitentis semper honorabilis iudicatus legatur. 8.) quod ille qui in iuncta poenitentia parere recusaret, incurrat poenam civilem corporis afflictivam. 9.) Quod si auxilium recusaret iudex externus, ipse in bananum incidat, ac nisi canonicam ageret poenitentiam, in totum officio suo cadat. Vid. *de duobus ultimis effectibus saepe all.* Lehman. *cit. loc. cum ibidem adductis authenticis documentis.* 10.) ut sit species jurisdictionis non ordinis ecclesiastici publica poenitentia impositio *Art. Smalcald. de potest. & jurisd. Episcop. pag. 152. seqq. II.*) quod reiterari nequeat, quo de *infr. 12.*) quod sit sacramentum; quamvis hic error sit crassus & intolerabilis, cuius auctorem novimus P. Lombardum, quem Scholastici deinde secuti sunt: 13.) quod sepultura privetur ecclesiastica. 14.) Ut solenni declamatione cum opprobrio peccatorum fiat. De pluribus vid. *Struv. Exerc. crim. 15. th. 28.* Quod ad effectum publicae poenitentiae apostolicae & pontificiae ecclesiae communem attinet, illud quam maxime & solum erat vera publica poenitentiae sequela: ut ad S. Synaxin & Sacramentalium communionem non admitterentur interim peccatores in primitiva ecclesia; qui effectus etiam pontificiae poenitentiae communis est.

Th. XXV.

Ut nunc etiam de fine poenitentiae ecclesiasticae solliciti sumus: statim alius, qui bonus & laudabilis, alius vero, qui pessimus & vituperabilis est, se nobis offert. Bonus & catholicae ecclesiae conveniens finis vel proximus, vel remotus est. Proximus ille est, qui unice intendit & proposito primario habet externum signum peccatoris coram Deo respicientia; ut scilicet poenitentia publica nihil a-

liud.

Quis remo-
tus?

Illud, quam veræ internæ poenitentiae indicium & testi-
monium esse debeat. Finis remotus differt pro ra-
tione plantandæ & plantatæ ecclesiæ. Illius finis remo-
tus est, qui explicatus th. 5. & quamvis hic finis aliqua-
dantenus etiam communis sit plantatæ ecclesiæ, vel saltem
esse debeat: in eo tamen proprie hujus finis remotus con-
sistit, ut peccata coercionibus civilibus non subjecta, non
tamen pro licitis reputari possint, vel sic ut *supr. th. 7.* di-
ctum scandalum ecclesiæ præbere queant. Quando vero
de illis delictis, quæ poenis civilibus subjacent, etiam mo-
ribus nostræ & pontificiæ ecclesiæ publica poenitentia ho-
die peragitur, neque illud, etsi superfluum dici posset, ex
eo simpliciter, improbandum videatur, quod magis emen-
dandi homines studium ostendat; cum de interna cordis
poenitentia satis constare non possit, nisi externa adsint po-
enitentiae signa, teste Augustino *in Enchirid. ad Laurent. c.*
57. tamen veræ poenitentiae signa, monente Christo, ex fru-
ctibus potius emendatæ vitæ, quam ex coacto ritu solen-
nis poenitentiae cognosci posse manifestum est; cum & qui-
vis, hypocrita ad hunc ritum facile se componere queat;
ut taceam, quod in securitate non agnitorum peccatorum
constituti, per aliorum graviorum peccatorum publicam
poenitentiam magis obdurentur, credentes: se jam satis bo-
nos esse christianos, dum huic non obnoxii inveniantur,
quo pertinet *Can. 40. Caus. 33. de poen. dist. 3.* Quod ad fi-
nem, quem pessimum diximus, hic atinet, ille ex hierar-
chicæ jurisprudentiæ regulis desumptus est, sc. uti omnes pec-
catores sumus, ita ad clericorum pedes omnes dejiciamur;
ac ecclesia, quæ ipsis quam maxime cucullum clericale
significat, temporalibus bonis ditetur; Non poterant e-
nim commodius indulgentiarum nundinationes institue-
re, quam si peccatoribus primum excommunicationes ec-
clesia-

Quinam fi-
nis pessimus
est?

ecclesiasticæ fulmine horrorem injicerent: ut sic illi necessariam clericorum gratiam magnis pecuniæ summis emere mallent, quam pro civiliter mortuis per maximam hanc spiritualem capitis deminutionem haberi.

Thes. XXVI.

Quod ad causam efficientem utriusque & Apostolice & pontificiæ publicæ pœnitentiæ attinet; illa jam sufficienter, cum omni hujus ecclesiasticæ disciplinæ historia, satis exposita est, quibus illud tantum addimus, quod si quis contra meritum excommunicatione pontificia se a presbytero, suo confessionario, gravarum contendat, ipsi appellatio concedi solet ad Episcopum, ubi tamen, pendente appellatione, factæ excommunicationi sese submittere necessum habet. Et cum hætenus ipsi Episcopi pœnitentias publicas in excommunicatione peragendas indicerent, tunc dicta appellatio ad Archi Episcopum devolvebatur, quod exprimit Lehmannus *cit. loc. pag. 131.*

Thes. XXVII.

De subjecto, seu cui imponi, vel non imponi potuerit hæc publica ecclesiastica pœnitentia, facilis admodum erit consideratio: Quod ad primitivam ecclesiam attinet, sine dubio omnibus publice lapsis, publica quoque peragenda erat pœnitentia, non quidem per modum imperii, vel jurisdictionis, quam non habebant prorsus, neque per modum alicujus probrosi ritus, sed tantum per amicam admonitionem, abstinendi ab usu sacramentorum, donec de fructibus resipiscentiæ constare possit, quod præter alias rationes, supra expositas, illo imprimis fundamento nitentur, ne notorie impœnitentes hac sacramentorum participatione æternæ damnationi magis præparentur. Ubi nullum est dubium, circa ejusmodi pertinaces peccatores nullam

L

condi-



*Qua ratio
fuit primiti-
ve ecclesie
iustitiae pec-
catoris ex-
clusionis.*

*Nullus fuit
personarum
respectus.*

conditionis aut dignitatis rationem habitam fuisse, persuasi-
si: quod sicuti ille, qui jurare aliquem concedit, quem scit
pejeraturum, perjuri reus evadit, ita quoque qui aliquem
ad sanctam evcharistiam admittit, quem manifesto cogno-
scit hoc ipso damnationem majorem & æternum suppli-
cium incurrere, illius infelicitatis reus existat. Et cum
de alicujus indignitate totus fidelium cœtus judicium as-
sumeret, nulla hic finistræ opinionis aut affectuum suspi-
cio militare poterat. Neque opprobrio erat cuiquam talis
ipsi admonita melior præparatio, quin potius sic pium lapsi
propositum maxime extollebant, ac super eo gaudebant; tam
nefandi enim abusus nondum tunc irrepserant, quod sub
pallio ecclesiasticæ censuræ existimationis maculam ejus-
modi pœnitens incurrere debuisset, ut proh dohlor! hodi-
ernis temporibus contingit, & nunc est vulgaris, inimica
Deo, opinio: Licet ergo nullo exemplo comprobari
queat, quod in primitiva ecclesia, utpote quæ tunc tem-
poris seculare imperium non conjunctum habuit, Princeps
aut magistratus publicam peragere pœnitentiam admoni-
tus fuerit; non entis enim nullæ quoque erant affectio-
nes; haud tamen existimandum erit, hos ipsos, ni tyran-
nidem exercere voluerint, aut potestate a Deo concessa
abuti, si casus extitisset, ab eadem immunes futuros fuisse;
neque hic pius christianorum zelus improbari, ob haste-
nus dicta, poterit, quin potius merito encomio efferendus
est: modo caveas, ne hanc sacramentorum, usque ad publi-
ce demonstratam pœnitentiam, negatam communionem
pro excommunicatione interpreteris. Quod vero ad
verbi divini ministros, seu cœtuum christianorum pastores
attinet, cum de illorum exclusione nulla etiam vestigia in
primitivæ Ecclesiæ monumentis reperiantur, existimare
omni-

omnino posses, hos tamē ab hac disciplina liberos fuisse? sed vero illi majori forsan pietate præditi erant, quam hodierni Evangelistæ quidam, neque sic apud illos ad tam notorios graviores lapsus casus vix dabilis fuit. Hodie vero cum Paulina Prophetia: 2. ad Tim. 4. v. 3. plus quam vera inveniatur, & *Depravati ecclesiastici status causa exponitur.* proh dolor! cessante immediata divina vocatione, necessaria tamen ad hoc divina inspiratio, juxta exemplum in Act. Apost. cap. 1. v. 23. & seqq. devotis precibus obtinenda, ab illis, quorum curæ electio pastorum competit, negligatur, ac sapius affinitatis, vel cognationis aut familiarum quarundam splendor, quandoque & inanis eruditio, & auribus humanis jucundus theatralis stylus majus vocationis momentum, quam ipsa subjecti pietas & promovendæ divinæ gloriæ studium, tribuat, satis in eo ævi nostri corruptio adparet: Ex quo proinde satis manifestum sit, quæ causa subsit; quod hodie tot impura membra inter ecclesiæ ministros conspicua sint, quorum depravati mores, jamdudum ecclesiam pontificiam, ac nostram ecclesiarum statum semper corrumpere. Deus utinam det meliora tempora! Nunc facta hac necessaria digressione *Alii fuerunt ad scopum revertitur.* Dum itaque statuerimus; neminem publice peccantem in primitiva ecclesia, ante contentatam publice pœnitentiam, ad sacramentorum communionem admissum fuisse; porro notandum aliquam pœnitentiam observatam differentiam inter primos christianos, vel enim pœnitentia agenda, quod hæcenus, licet invitus, quis in errore versatus fuerat, uti ethnici prosylitæ & judæi, qui forte messiam, etiam post christum passum, propter Phariseorum fraudulentas deceptiones futurum crediderant: vel quod diris persecutionibus sustinendis haud idoneus extiterat, & agnitam semel evangelicam verita-

ritatem, ethnicorum idolis litando, rursus abnegaverat, aut alio modo a necessaria doctrinæ puritate defleeterat, quales in genere *κατηχούμενοι* seu catechumeni dicebantur, qui iterum erant vel *ἀκούοντες* hoc est audientes, de quibus Tertullian. *all. libr. de poenit. cap. 6. fere per tot.* & Cyprianus *L. 3. ep. 17.* qui baptismum nondum petierant; alii competentes, seu electi h. e. qui religionis christianæ capitibus sufficienter imbuti, baptismi foedus nunc cum Deo inire volebant, vid. *Concil. Agathense. can. 13.* vel poenitentia ab illis exigebatur, qui sub christiano nomine, gravioribus peccatis se commaculaverant, qui proprie *μετανοήτες* seu poenitentes, aut etiam lapsi vocabantur; ac hi in sensu presiori subjectum tantum constituebant publicæ huic poenitentia. Ab hac autem doctrina quam infinitis modis recessum sit in ecclesia pontificia, jam paucis videbimus; sic enim quidam, ad poenitentiam publicam peragenda, juxta doctrinam pontificiorum non compelluntur, inter quos quam maxime eminet ordo clericalis, qua talis, juxta *Concil. Carthaginens. 5. can. 1. & Tolet. 4. can. 5.* conf. *M. A. de Dominis L. 5. c. 7. §. 87.* quamvis ministri ecclesiæ degradati h. e. ab officio remoti secundum canones etiam ad poenitentiam adigantur vid. *Capitular. Carol. M. E. 6. cap. 76.* Loco autem publicæ poenitentia illi privatam assumunt canonicam pro peccatis satisfactionem, supr. etiam refutatam; quæ privata ecclesiastica poenitentia ratione cleri nilominus dicitur regularis vid. *Concil. Tolet. 13. can. 10.* Si ratio hujus prohibitionis illa fuisset, ne super occulta, ex imbecillitate facta, transgressione necessaria existimatio illius, qui alios docere debet, labefacteretur, quo pertinet effatum Constantini M. imperatoris, iniquitatis: **Wann ich einen Priester sündigen/ oder Unzucht treiben sehe;**

Ab hac doctrina recesserunt pontificii.

Et refutatur

he; so wollte ich ihn mit meinen Käyserl. Mantel
 zudecken; eam non prorsus improbandam esse existima-
 rem: Siquidem in plebe multum facit bonum verbi divi-
 ni ministri exemplar. Distinguendum tamen merito hic
 esset, inter delicta omnibus ecclesiæ membris & in vulgus
 nota, ac grave scandalum præbentia, & quæ magistratui
 tantum innotuerunt; Priori casu, ob publicatam malitiam,
 minister ecclesiæ vel prorsus ab officio removendus erit,
 tanquam qui idoneus non est ad pascendum Dei gregem,
 vel omnino ipsi pœnitentia publica injungenda est; non
 pontificia aut multorum annorum, sed simplex seria de-
 precatio, ne locum inveniat illud plebis: **Warum solten
 wir das nicht thun/machts doch unser Prediger selbst
 nicht anders?** Et quid obstat, quo minus pœnitentiam
 publicam peragere deberet Ecclesiæ minister; cum ipsius
 exemplo quam maxime corroborari illud possit: quod ne-
 minem talem resipiscentiam dedecori sibi ducere oport-
 teat? Sane melius hic est pœnitentiam publice profiteri,
 quam suspicionem non emendatæ vitæ implere, aut phari-
 sæisitare prorsus. Posteriori casu, si peccata remotione
 digna non sint, ad rationes prudentiæ omnino spectat; ipsi
 non imponi pœnitentiam publicam, cum eo ipso gravio-
 ris peccati argueretur, cujus præsumptio etiam propter ple-
 bem evitanda & eidem eradicanda est. Sed aliæ & prorsus
 iniquæ rationes pontificiorum sunt, propter quas ejus-
 modi prohibitio conciliorum canonibus inculcata primum
 fuit; Cum enim apud illos notorium jam esset, publi-
 cam pœnitentiam pœnam ecclesiasticam sapere, incon-
 gruum videbatur, dignissimum clerici officium pœnarum
 irrogatione contemni, illudque æquali cum laicis modo
 tractari; accedebat quod jure Canonico ille, qui semel
 L 3 publi-

*Minister ec-
 clesia vel ob
 commissa
 peccata re-
 moveri, vel
 pœniten-
 tiam publ.
 agere deber.*

*Aliiter do-
 cent hic pon-
 tifici.*

publicam poenitentiam peregerat, pro infami persona habebatur; conf. *canon. apud dist. 50. Lancellot. Inst. jur. Can. L. 1. tit. 25.* Imo tales ab infimis etiam clericorum officii excluderentur vid. *Concil. Nicen. 1. cap. 10.* & si qui forsitan per ignorantiam aut dissimulationem ordinati fuerint deponerentur *ibid.* quas ridiculas rationes pro defendenda hac prohibitione adducit *Joh. Medin. Libr. de poenitentia. p. 207. aliique.* Ideo autem ipsius rationes ridiculas appellito; quia lubricis principiis nituntur, alias juxta illa, res aliquadantenus salva dici potest. Porro ab hac castigatione ecclesiastica pontificiorum immunes olim judicabantur juvenes vid. *Concil. Agathens. can. 15. & capitul. Carol. M. L. 7. c. 231.* Quam vero hic juvenilem ætatem esse existimaverint, innuit Synodus romana sub Sylvestro I. habita. Ubi tale decretum habetur: nemo Episcopus det poenitentiam, nisi quadraginta annorum petenti. Verum hæc prohibitio nullo valido nititur fundamento: Nam omnis ætas, quæ ad sacram Synaxin admitti potest, habilis quoque erit ad peragendam poenitentiam; Vid. *Consil. Theol. Dedekenn. Vol. 1. tit. Von Heil. Nachtmahl. pag. 601. seqq.* Quapropter etiam ipsos pontificios ab hac doctrina recessisse exempla varia nos docent. Tandem ad poenitentiam hanc publicam canones illos non admittunt, qui semel eandem peregerunt, & iterum lapsi sunt; his enim, nisi tandem agonizantibus, sacram communionem non posse concedi statuunt. Vid. *Ziegler. ad Lancellot. f. 7. C. L. 2. tit. 5. §. 2.* Rationes hujus doctrinæ vide apud, *M. A. de Dominis allegat. loc. §. 84. Conf. Thomasin. de veter. & Nov. Eccles. Disciplin. P. I. L. 2. cap. 11. §. 8.* Habita hæc quæstio pro una ex difficillimis, ut ex loco ultim. all. videri poterit. Sed verò ipsa in S. litteris decisæ.

Juvenes quoque poenitent. b. a. gere prohibentur.

Quod refutatur.

Non posse reiterari poenitent. statuant pontificii.

S. Scriptura a. aliter docet.

fa



fa est, *Matth. 18. v. 22.* Ex quo dicto satis opinor, clarum est, irreiterationis doctrinam nullo solido fundamento niti; locus enim allegatus manifesto contrarium probat contra illos, qui nobiscum non negant, illum ad poenitentiam ecclesiasticam referri posse & debere. Ut plura huic addere supervacaneum esset. Proinde salva est hodierna Consistoriorum & Ecclesiarum praxis; quod reiteratis publicis peccatis, etiam reiterari permittant publicam poenitentiam.

Th. XXVIII.

Quod ad doctrinam pontificiorum attinet, quibus *Quibusnam*
nam imponenda sit poenitentia? dicunt omnibus, publice *h. imponi pos-*
peccantibus, publicam perendam esse poenitentiam, quam *se & debere*
regulam ex primitivæ ecclesiæ institutis petitam esse, supra *pontificii*
demonstratum est: Quamobrem facile quis existimare *statuam, ex-*
posset, eandem nihil iniquitatis habere. Verum mirum *ponitur.*
in modum corrupta fuit hæc regula, & ad hodiernum sta-
tum inapplicabilis reddita. Quando enim ipsa tota, quæ est,
de publica poenitentia doctrina infinitis modis vitiosa fa-
cta fuit, tunc etiam statim ista regula improba effecta, ut
ex illius retentione & observatione insigniores lapsus, &
toti mundo maxime nocivi errores evenerint. Qualis e- *illam etiam*
nim doctrina majores turbas, ac tragicos subinde eventus *contra prin-*
in Republica christianorum concitavit quam illa, qua de- *cipem locum*
fenditur, clero & pontifici jus competere Principes & im- *habere*
peratores excommunicandi, eosdemque hoc ipso inhabi- *commendant.*
les ad imperii munera efficiendi? quapropter opera pre-
tium omnino erit, brevissimis falsitatem hujus propositio-
nis hic ostendere. Primo illud pro fundamento pono, quod *Sed hoc ma-*
infr. prolixius evincam, ecclesiam, qua talem, uti non pos- *is.*
se poenis, aut coercionibus civilibus; hæc enim præsup-
po-

ponunt visibilem potestatem & imperium externum. Esse vero excommunicationem poenam, ac civilis potestatis effectus post se trahere, nec ipsi pontificii negant, aut negare possunt, & quoque cum de effectibus illorum poenitentiae ecclesiasticae actum, & passim in tota dissertatione prolixius demonstratum est, & *infr. ad huc peculiari thesi* demonstrabitur. Quapropter in ipsa papatus, ut ita loquar, virilitate idolum hoc prudentiores quidam animadvertentes summæ potestates, recte negarunt, clerum aliquem, absque sua expressa auctoritate ac ratihabitione, poenæ excommunicationis subicere posse: In tantum ut etiam contra hanc voluntatem ab Episcopis nihilominus excommunicatos plenissime, & quidem jure, absolverint, quod exemplis variis corroboratum videri potest apud Seldenum *de Synedriis Ebraeorum L. 1. c. 10. fere per tot.* & Goldastum *constitut. imper. Tom. 1. §. 3. fol. 188. & 272.* Et quamvis imperator Justinianus in multis alias juris materiis papistizaverit admodum, hoc tamen nihilominus ab eodem dispositum fuit, ne Episcopis, aut presbyteris proprio motu excommunicandi potestas competere debeat, sed prius causa imperatori doceatur necessum sit, adeo ut hisce contranitens Episcopus ipse excommunicationis poenam, jure talionis, incurrat. *Nov. 123. cap. 11.* Quando vero hæc depravata pontificiorum publica ecclesiastica poenitentia, ne quidem infimo subdito a presbytero imponi absque civili auctoritate de jure juxta naturam ejus potest: Inanis nunc sua sponte fit quaestio, an illa contra Principem vel imperatorem locum obtinere queat? quam ex iisdem a nobis hic positus fundamentis erudite pro more ipsorum prolixè refutarunt Grotius *de jure summ. potest. circa Sacra cap. 9. §. 26. seqq.* Seldenus *all. loc.* allegati etiam hanc in rem

rem ab Excellentiss. Dn. Thomasio *nominato libr. p. 79.* ad quorum prolixiores rationes & solidiora tradita, ob brevitatatis studium, hic provocare mihi necessum duco. Illud tantum his addo, quod si exemplis Theodosii & Henrici imperatorum aliorumque nobiscum quis pugnare velit, talia superstitiosis temporibus, contra omnem æquitatis & saniorum principiorum evidentiam, facta fuisse sustinendum sit, nedum, quod pro nostri asserti veritate etiam quam maxime germaniæ mores loquantur, istaque ipsorum mediæ ævi pontificiorum Episcoporum doctrina passim corroborata inveniat, cujus fidem unicuique facere potest Lehmannus *in Chronic. Spirens. L. 2, c. 24. p. 131.* Quæ circa hodiernam nostram publicam poenitentiam hanc in rem determinanda sint, & num de illa dicta regula valere possit? vide *Infr.* Cum itaque hætenus generatim ostenderit, quod, & quo jure? omnibus publice peccantibus publicam imponendam esse poenitentiam pontificii statuunt; Supervacaneum hic esset, de personis in particulari tractationem assumere: Illud tantummodo ad *Competit* Jicio: quod contra invito etiam locum suum obtineat *quoque contra* & publicæ poenitentia impositio, & excommunicatio, vid. *tra invito*, M. A. de Dominis *de Republica Eccles. L. 5. cap. 7. §. 60.* contra illos scilicet, qui criminis scandalosi vel publici convicti erant, *id. ibid.* (quamvis sæpius propter minimas causas eandem exercuerunt *de quo §. seqq.*) Si inquiramus *Num hoc in* quousque hæc sententia in doctrina publicæ primitivæ ec- *primitivæ* clesiæ poenitentia fundata sit? id statim ex jam dictis ad. *eccl. doctrina* parere potest, quod simplex illa sacramentorum negatio, seu exclusio a coetu fidelium, etiam juxta illam doctrinam, *na fundatum?* contra invito exercita fuerit, utpote tunc temporis humillima illa exclusionis, ab ecclesia faciendæ, & imponendarum

M darum

darum satisfactionum canonicarum petitio, quæ apud Pontificios inter requisita ritualis pœnitentiæ primum locum obtinet, prorsus, quod & natura ejus ex tota ecclesiastica disciplina, tunc usitata, præsumendum est, usu non valebat, sed vel aliquis, peccati commissi conscius, sacramentorum communione se indignum putabat, & abstinebat ipse, vel ipso factò, & peccato publice perpetrato, exclusus erat, donec de acta interna pœnitentia ex fructibus ipsius constare poterat; quod vero ad peragendam publicam pœnitentiam attinet, cum ad illam solum Deum, cujus est dare vel & nolle, homines ducere debere & posse, ex S. Scriptura satis certi essent, ad eandem pœnis externis nemo cogebatur, aut cogi poterat, ob deficiens seculare brachium; sed hæc ipsa voluntaria erat Deo, piis tantum precibus commendata. Circa hoc ultimum vero membrum magnificam cernimus primæ catholicæ doctrinæ transformationem, quæ multum facti iniqui, aliquid tamen, sed exiguum, juris & veræ justitiæ habet. Et illud quidem a justitia non abhorret, quod qui perniciosi moribus externam remp. Christianam macula adspargunt, vel erronea, & non recepta principia docendo, homines laicos in cultu divino confundunt, aut irreligiosos faciunt, si respicere detrectent, vel errorem agnoscere recusent, e Republ. ejiciantur: Siquidem dissoluti mores & quidvis, vel circum cultum divinum, aut alia credenda, statuendi licentia Rerum publicarum & Ecclesiarum evidentem corruptionem minatur; cujus periculum licitis modis declinare & prudentiæ & pietatis esse nemo dubitat, & in contrarium nihil magis Christianæ Reipublicæ characterem habet, aut notam priorem constituit, quam externa bona vita & bene compositi mores & quies conspicua: sed vero hanc non ali-

*Offenditur
doctr. prim.
ecclesia
transformatio,
ejusque
excusatio
quædam
exhibetur.*

aliter obtinere decet christianos, quam ejusmodi mediis, quibus toties a Salvatore nostro requisitus, Dei, & proximi amor non refragatur, cum quam primum contra charitatis regulas peccatur, injustitia manifesta fit. Quando igitur in peccatis, publice commissis, sub comminatione exilii, seu relegationis, aut jurium civilium privationis poenae publica deprecatio in amore jungitur; illa negativa coactio si ab iis, quibus fas est hanc statuere, imponatur, ex rationibus adductis vitio non laborat: quamvis enim dicatur, ecclesiae puritatem violentis mediis obtineri Deum non velle, hic tamen abest primo omnis violentia, & coactio injusta, & deinde quoque illud axioma de ecclesia universali & invisibili, & quod magis clarum est, de credendis tantum loquitur, & non de externa corrigenda vita, aut non toleranda publica alicujus doctrinae professione intelligendum est, ratione cujus Ecclesia & Respublica bene invicem subordinari possunt. Quando *Injusta est* vero hic doctrinae pontificiae severam indolem spectamus, *pontificiorum contra* statim in limine quasi deprehendimus; quam infinitis *hareticos nimia severia,* eadem modis ab hisce a nobis traditis, & in vera theologia & sanae jurisprudentiae regulis fundatis argumentis destiterit: Docet enim illa tyrannidem conscientiarum & dogmatum quorundam inhumanam carnificinam inculcat non modo, sed igne & gladio simul grassare in illos jubet; qui vel hisce contra quid moliuntur, aut docent, vel a fana superstitione alieni, non omnia pontificis ac clericorum facta encomio efferre possunt, nec ad illorum pedes se devolvere volunt, cujus probationem desideraret, cui immanes haereticorum caedes, quae singulis historiae ecclesiasticae paginis leguntur, inquisitiones hispanica & eidem similes, & tot regnorum & principatum depopulationes

M 2

quas

quas excommunicationes papales sæpius concitasse nemo ignorat, prorsus incognitæ essent: cui tunc suavor essem, ut evolveret hanc in rem Arnoldi *Kirchen- und Käber-*

Qua etiam nullum ex S. literis presidium habet.

Non permittit excommunicationis eccles. essentia ut in bruta exerceri queat. Neque in res inanimatas.

hystorie. Hæc autem omnia in quantum lædunt charitatem, in tantum etiam abominandæ injustitiæ notam habent, nec ullam ex S. literis auctoritatem aut fundamentum accipere possunt, ut adeo prolixa enodatione non indigeant. Tandem pseudo subjectum publicæ poenitentiae est, quod statuitur a pontificiis, ecclesiasticam hanc disciplinam etiam in bruta animantia, ex. gr. in locustas, de quo processu vid. Ziegler. *de Episcop. L. 3. cap. 11. §. 3.* quod prorsus absurdum est, & res inanimatas, ut sunt, libri hæreticorum exerceri posse: non quidem quasi hæc poenitentiam peragere deberent, sed saltem, quod statuta in eadem excommunicatione illa statim ab ecclesia aliena & heterodoxa esse cognosci queant. vid. *nominatus liber* Excell. Dn. Thomasi *pag. 56.* Equidem supra in hac ipsa thesi facti sumus, non tolerandam esse quidvis statuendi licentiam, & sic opiniones quasdam hæreseos condemnari posse omnino arbitramur, sed de his iudicium merito illi duntaxat competit, qui τὸ νόμιον tenet in Republica, utpote cui solum liberum est de dogmatibus Ecclesiæ, quoad publicam illorum professionem, disponere; quamvis consilio theologorum, merito hic opus sit. Sapiunt enim hæc omnia jurisdictionem, quæ clero nequitiam *de quo infra* concedenda, & hinc nihil ejusmodi eidem tribuendum est, quam quod solidis contrariis argumentis alterum erroris convincendi arbitrium relictum habere queant.

Thes. XXIX.

Circa objectum ecclesiasticæ poenitentiae, seu de quibusnam peccatis illa imponenda sit? alia iterum effigies est

est doctrinæ pontificiorum, quam primitivæ ecclesiæ. Quod ^{Peccatum;}
 in genere ad hanc tractationem attinet; quamvis cum ^{vel non est}
 stoicis stultescere non cupiamus, & tantum peccatum di- ^{peccatum;}
 cere occidere gallum gallinaceum, quam hominem; illud ^{vel mortale}
 tamen non abnuendum esse existimo, quod peccata vel ^{est.}
 prorsus talia non sint, vel in se mortalia dici debeant. M.

A. de Dominis *all. libr. L 5. cap. 7. §. 67. in fin.* Et sic o- ^{Distinctio do-}
 mnis peccatorum distinctio, ut mortalia & non mortalia ^{pendet a sub-}
 sint, ex subjectorum diversitate tantum nascitur. ^{jectis.} Quam-

vis mox iterum inter illa, quæ mortalia sunt distinctio
 suboriatur; ut alia majorem, alia minorem condemnatio-
 nem post se trahant, sicut enim æternæ felicitatis gradus
 erunt, sic quoque æternæ damnationis, quod satis innuit
 dictum: *der Knecht/ der seines Herrn Willen weiß/ und*
thut ihn nicht/ derselbe wird doppelte Streiche leiden;
 ut immo peccata, quæ alias minima dicuntur, plurimum
 magis periculosa sint, quam illa, ita vocata, gravissima.

Quod optime perspectum habens B. Lutherus dicit: ^{Magis peri-}
Der Weiz zur Hölle ist mit lauter kleinen Sünden ^{culosa sunt}
geplassert/ mit einem grossen Sünder hat es so leich- ^{peccata mi-}
te keine Noth. Hi enim facilius labem suam agnoscent, ^{nora, quam}
 & digna poenitentia iram Dei & barathrum effugient. ^{gravissima.}

cum illi ex adverso, qui levioribus, ut putant, peccatis ma-
 culati, iram Dei facilius se effugere, & veniam impetrare
 posse credunt, poenitentiam ex die in diem differant, sic-
 que, sub falsa hac persuasionem, divinæ misericordiæ essen-
 tiam & indolem alterantes, in gehennam, prohi dolor!
 præcipites ruant: quos ira corripit Christus: *Meinet ihr/*
daß die/ auf welche der Teufel zu siloah' gefallen/ vor
andern Sünder seyn? Ich sage nein da:u Hinc igitur
 quis dubitare potest, qualibet peccata homines ex ne-
 cessa-

Et hinc vel minima seriam indigent poenitentia.

Sed non ecclesiastica; qua peccatum publice commissum non leuiusculum.

Qua doctrina hic fuit eccl. prima-va?

cessario cum Deo amoris statu ablegare, & ea propter in quibusvis divini Numinis offensis seriam merito efflagitari poenitentiam, internam videlicet coram facie Dei peragendam; Et cum nemo sit, qui non quotidie peccet, perpetuam? Quando autem de poenitentia ecclesiastica seu publica disquisitio instituitur; cum illa ad gratiam a Deo obtinendam non necessaria sit, quicquid etiam de satisfactione externorum operum requiranda adducat ex Ambrosio M. A. de Dominis cit. libr. L. 5. cap. 7. §. 50. sed saltem, vel ob majus terrefactæ conscientia solamen proprio motu suscipi queat; vel ob dati ecclesiæ scandali deprecationem, aut puritatem ejusdem illibatam conservandam, imponi debeat, mox illud manifestum evadit: quod, quantum ad prius attinet, illa quidem haud disuadenda, quoad posteriora vero, eandem peccatum publice commissum & non prorsus leviusculum præsupponere, quod tamen non ita intelligi velim, quasi de peccatis, ut dicitur gravioribus, tantum poenitentiam exactam in primitiva ecclesia putarem, cujus contrarium potius sustineo, & ex studio puritatis ecclesiæ conservandæ, quod olim fuit, colligi posse existimo, quod non solum propter graviora tantum peccata a sacramentorum abstinere debuerint communione, sed si impoenitentes fuerint, etiam propter minima: Siquidem hic non tam ad qualitatem peccati, quam ad impoenitentiam hominis respiciendum. Quibus præmissis nunc magis præparati & non illotis manibus ad doctrinam publicæ poenitentia, quæ fuit olim, & quæ a pontificis deinde efflata est, in particulari accedimus. Quod illam concernit, de omnibus publicis peccatis ea peracta & commendata fuit, cujus ratio indicata est *th. 7. add. th. 25.* Ita ut etiam graviora peccata & quæ Deus sanguine vindicare

re



re jusfit, publica pœnitentia tegi & oblivioni tradi potuerint, ob deficiens seculare brachium; quamvis vitia hæc inter primos christianos non tam frequentiora fuisse magis existimandum sit. Hæc ideo insuper adjungenda fuerunt, ut ex his, vel inique quædam postea retenta, vel contra hæc in papatu pronuntiatum esse, & sic hanc doctrinam in totum a pontificiis inverfam nunc clarius patefcatur.

Th. XXX.

Quod ergo ad transformatam illam pontificiorum, de objecto publicæ ecclesiasticæ, pœnitentiæ doctrinam attinet, fluctuans illa admodum deprehenditur; ut quæ major cleri & pontificis auctoritas & fatus fuerit, eo majores quoque errores ac navi hic conspicui sint. Primo illud quidem ex doctrina publicæ pœnitentiæ apostolicæ retentum est, quod pœnitentia ecclesiastica, non secreta, ut dicunt, locum habere non possit contra invitum, nisi peccatum sit publice commissum M. A. de Dominis L. 5. c. 7. §. 73. juxta tritum illud: de occultis non judicat ecclesia. Quale autem peccatum esse debeat, grave aut leviusculum? de eo sibi met ipsis certo non constant. Inveniuntur varia loca, & conciliorum canones, in quibus cavetur, ne propter peccata non graviora imponatur publica pœnitentia. vid. Thomaf. all. libr. pag. 1. L. 2. cap. 10. §. 6. in fin. & prolixius cap. XIII. per tot. Regino de discipl. eccles. vet. germ. L. 1. cap. 290. & L. 2. cap. 6. seqq. Quæ peccata inde quoque dicta sunt canonica, quasi canonicæ satisfactioni obnoxia; ut fuit homicidium, adulterium, scortatio, sacrilegium & peccata consimilia gravissima, atrocissimis civilibus pœnis coerceri solita. Propter furtum vero in rem secularem commissum, rarissimæ inveniuntur pœnitentiæ publicæ peragenda dispositiones, per concilio-

Quænam pontificiorum?
utrum?
Peccatum debet esse publice perpetratum.
Quale vero grave, an minimum? hoc incertum est.

Nam propter furtum imposta sunt.

*rit hæc pœ-
nitentia?*

*Num pro-
pter avari-
tiam?*

*Num ob su-
perbiam?*

ciliorum canones impositæ aut statutæ, aliquando tamen e-
jusmodi quid statutum reperitur. Sic apud Regin. *all. libr.*
L. 3. c. 265. dispositio extat; *qui rei cupiditate captus, furtum fe-
cit, reddat 5 annos quinque poeniteat.* cui add. Ziegler. *de Epi-
scop. cap. 11. §. 27.* ex qua adparet, quod saltem, si reddi potuerit
ablatum, ad pœnitentiam peragendam fur admittus sit, cujus
forsan hæc est ratio, quod hic germaniæ mores, nimis acer-
bos, mortis pœnam furibus inferentes, corrigere, vel potius ea
propter de hoc delicto cognitionem ad forum ecclesiasticum
pertrahere nequiverint. Avaritiæ etiam, qua tali, & alio de-
licto non qualificatæ deditos publicæ pœnitentiæ unquam ob-
noxios factos esse, optarem ut quis me docere possit, & esset
mihî magnus Apollo; antequam vero hoc factum non vi-
deo, constanter contrarium affirmabo: de crimine vero dar-
danariatus exigitur *in c. ut mensura 2. X. de empt. vend.* ut &
propter illicitum foenus *c. præterea X. de Usur.* Confer. Unge-
baur *ad Decret. tit. de Usuris;* ut tamen neque hæc prohibitio
avaritiæ clericorum obfit, annuæ pensionès, a fundis præstan-
dæ, ab eis introductæ, & prædia hinc censitica enata sunt. San-
cta quippe semper ipsi clero fuit auri fames; quæ propterea
publicæ pœnitentiæ subesse noluit, quæ ipsi familiariter adhæ-
rebant, nec regi ab eodem poterant, ne scilicet ipse pontifex
fere usque ad infimum presbyteri ordinis clericum, ad pœni-
tentiam publicam peragendam teneri videri queat. Ut tamen
avari, plerumque divites, nihilominus bonis emungerentur, &
laicorum avaritia hic impedimento non sit; indulgentiarum
a pontifice & clero impetrandarum, & ecclesiæ post mortem
ad minimum aliquid relinquendi necessitas mentibus ipsorum
radicitus imprimebatur; utpote superstitionis illis tempori-
bus ejusmodi quid hominibus rudibus persuadere illis diffi-
cile haud erat, quos ad hanc artem & alias, sire nibus aptiores,
novimus. De superbia idem affirmandum & eadem hic paulo
antea data impulsiva ratio militat. Quantum quantum!
vero in hoc a catholicæ ecclesiæ primis institutis pontificii
deflecterint, satis unumquemvis *in priori thesi* allata docere pos-
sunt.

sunt. Reperiuntur vero e contrario etiam multa exempla, & clericorum decisiones, quæ propter crimina leviora, immo levissima, vel saltem ex opinione clericorum talia, poenitentiam publicam exactam esse docent, ut ridicula est *Concilio Matisconensis 2. dispositio*. Cujus summam, quia legi meretur, hic exhibeo; ita se habet *can. 15. Stravimus, si quis obvium habuerit clericum, illi usque ad inferiorem gradum honoris veneranter colla subdat, prout is hac obsequia Christianitatis jure promeruit. Si secularis equo vehitur, clericusque similiter, ille galorum de capite auferat, & huic sincere salutationis manus exhibat. Si vero clericus pedes gradiatur, secularis equo vehitur, illico ad terram defluat, & illi debitum honorem exhibeat. Qui vero horum, quæ spiritu S. sancita sunt, transgressor fuerit, ab ecclesia, quamdiu Episcopus voluerit, suspendatur*: cui similes sunt excommunicationes propter hircum, vel caprum occitum decretæ; de quibus Ziegler. de Episcopis c. 11. §. 27. Hinc ergo utique satis patet, quod qualitas peccati tantum secundum Dnm. Clericorum nudum bene placitum æstimata, & prout temporum diversitas juris, prudentiæ hierarchicæ principia inculcaverit, modo sic, modo aliter, efformata fuerit.

Quod ad antea allata graviora delicta attinet. Ut imprimis Ratio transformationis pter hæc poenitentia publica imposita fuerit & per eam ista doctrina poniari potuerint, quæ alias sanguine tantum vindicari debent; *et delicta* & ad seculare forum punienda pertinent; ex adverso vero circa hæreses hæresicos peccatum, (juxta illa, quæ th. 28. tradita sunt, relega- *os peccatum* tione nuda tantum subiectum, nisi aliæ aggravantes causæ per- *et delicta* petui ergastuli condemnationem suadeant) sanguine & gladio vindicatum fuerit? nobilis est quæstio: Illud de ultimo *graviora ex* membro statim adparet, quam insignem doctrina hæc de sub- *bibetur;* jecto publicæ poenitentia transformationem a primitivæ ecclesie vere piis institutis passa sit, eo, quod clerus hierarchiæ obtinendæ nihil magis quam hæresin adversam esse judicaverit. Quod vero primum concernit, verum quidem est, & ex jam allatis constare potest, in primitiva ecclesia de omnibus

delictis publicis requisitam esse poenitentiam ecclesiasticam, sed æqua hic subsuit ratio, de qua *rb. 7.* neque tamen hac ipsa ecclesiastica disciplina adimere poterant, aut voluisse hoc præsumendum est primos christianos, seculares superiorum poenas, quamvis ad accusationes, in vindictam plerumque injustam tendentes, & ecclesiæ prorsus indecentes proflire sine dubio nefas judicaverint. Sed vero cum tandem presus ille ecclesiæ status desineret; & illa christianas summas potestates tutatores acciperet agnosceretque, utique statu mutato, mutari quoque illa doctrina debuisset, nunc enim, quæ jurisdictionis civilis sunt, ab ecclesia amplius jure vindicari aut exerceri haud poterant. Quam ob rem omnino dicendum est, quod uti pontificius clerus in omnibus civilis potestatis & imperii exercitium restringere, minuere et si potuisset, tollere prorsus annisus sit alloboraveritque anxie, ita quoque in hoc passu eidem alius medius terminus non subsuevit; quod de sacrilegii & adulterii delictis satis, opinor, evidens est; de homicidio vero illud huic accedere, & pontificiorum doctrinam vindicare potest, quod nimirum ante seculum XV. hoc delictum in germania non adeo grave habitum, nec quod aperta fronte fiebat, civili poena vindicatum, quin potius fortitudinis encomio dignum judicatum fuerit: In seculo XVI. hanc consuetudinem a Julio Duce Brunsvicensi privilegiatam recenset Just. Georg. Schottelius *de jur. Sing. german. cap. 28 §. 20. pag. m. 546.* obtinebat enim haec jus illud Duelli, quod vocabatur *das Fauff und Kolben-Recht* ubi litem cum alio alterutris morte dirimere inter germanos fas erat: vid. Knipschild. *in Exercit. contract. exercit. ult.* ubi *Hale Svecorum* aliisve locis speciales hanc in rem palæstras privilegiatas fuisse constat. Quarum auctorem caracallam Imp. fuisse, qui eodem in loco Duelli judicium ad Senatum populumque Hallensem transulerit, consentaneum esse scribit Drelser. *de urbib. germ. p. m. 295.* & Crusius *in anal. Suev. lib. paralipom. c. 15. p. 62.* Quapropter omnino quoad hos germanorum barbaros mores; contra præceptum verbi divini homicidia aperta sanguine haud

vindicanes, opus fuit, ecclesiasticam hic in subsidium disciplinam statuere, ne quoque in foro poli hæc licita esse præsumi queant. Quæ tamen, cum diu cessaverit barbaries, amplius obstare nequeunt, quo minus illa, quantum ad poenam sumendam attinet, ad seculare imperium tantum pertineant; uti & in genere de his criminibus hodie ecclesia pontificia cognitionem absolutam, & statuendam in illa poenam sibi non tribuit, sed eandem nunc recte jurisdictioni & imperio civili relinquit. Quamvis præter hanc secularem coercitionem poenam ecclesiasticam indistincte locum habere hætenus contendant, quod in quantum admitendum, aut quousque merito restringendum esse arbitremur, patebit infra.

Thef. XXXI.

Antequam vero hoc fiat, jam dictis duas insuper quæstiones annexam, generaliores quidem, sed quæ ad justitiam & injustitiam publicæ poenitentiae exactius intelligendam in specie faciunt. Altera est, an ecclesiæ poenæ externæ irrogatio competat? altera an poenitentia ecclesiastica, per majorem, vel minorem excommunicationem obtineri solita, poena dicenda sit? Quod ad primam quæstionem attinet, illam negantium *Quæstio; an* sententiam nos amplectere jam passim docet disertatio, quam *ecclesiæ poe-* ut argumentis corroboremâs operæ nunc erit pretium. *ne externe* rumque distingvere hic solent Dd. canonistæ, inter poenas ec- *irrogatio* clesiasticas & civiles, quo sensu aliud faciunt forum externum *competat?* & judicem ecclesiasticum, aliud civile & hinc judicem secula- *resolvitur* rem: de his nobiscum circa datam quæstionem negativam de- *negative.* fendunt, de illis autem contra nos affirmativam tuentur. Vid. Ziegler. ad Lancelot. *Instit. jur. Can. L. 4. tit. 5. §. 4. in fin. Mer.* P. 6. decis. 357. Gail. de pac. publ. cap. 11. n. 26. Carpz. *Jurisprud.* *Constit. L. 3. tit. 7. def. 94. n. 6. L. 3. tit. 6. def. 72. n. 12. & in pract.* *Crimin. P. 2. qu. 69. n. 1. 5. & 6. M. A. de Dominis de Rep. Eccl. L. 5. cap. 2. §. 30. aliique plurimi.* Quenam vero coercitiones dici debeant poenæ ecclesiasticæ, in eo non omnes conveniunt, nisi quod asserant, illas corporis afflictivas, vel corporales esse non oportere. M. A. de Dominis *all loq. Carpzov. cit. loc. ult.*

num. 15. 16. quo etiam pertinent eanones, qui prohibent, ut personæ ecclesiasticæ interfint iudiciis capitalibus, seu in quibus de irrogatione pœnarum sanguinis agitur. *cap. clericos. 5. & cap. sentent. sanguin. 9. in pr. t. ne clerici vel monachi.* Sed nihilominus ob delicta inclusiones in monasterium, similesve carceris pœnas, remotiones, certasque satisfactionum impositiones in pane & aqua, tandem & excommunicationes & purgationes à iudicio ecclesiastico decerni deprehendimus; ut adeo hæc ad iura ecclesiasticarum personarum proprie referantur. Nos primum in thesi rem considerantes, dicimus: distinctionem inter

Juris dictio ecclesiastica nititur primitivè hierarchicis.

iura personarum ecclesiasticarum & secularium non alio nisi fundamento, quam illo, ex quo papalis Hierarchia defendi potest. Putant quidem plerumque rem salvam esse, si probant, quod jurisdictio ecclesiastica ipsis primitivè ecclesiæ Christianorum institutis originem ac auctoritatem debeat; siquidem nemo negare potest, primi illius ævi fideles non a seculari potestate punitos, vel correptos esse, sed ab ipsis ecclesiæ suæ senioribus, juxta tradita in th. 16. Verum hæc ecclesiarum personarum potestas non legis latoria aut cum vico activa conjuncta, sed omnis voluntario, & arbitrario partium consensu, ob singulari rem deficientis secularis christiani iudicis causam, in ecclesiæ, vel potius totius christianorum coetus seniores collata fuit: quo pertinet dictum 1. Cor. 6. v. 4. sicut nec hodie consensu litigantium boni viri arbitrium illicitum. *tot. tit. ff. de receptis, qui arbitrium receperunt, ut sententiam dicant.* Add. *Struv. in Synagm. jur. civ. & Dd. passim.* Ut adeo hæc ad absolutam ecclesiasticam jurisdictionem trahi nequeant. Quin potius merito cessare debeant, cum summas potestates ipsas christianas noverimus: nec amplius periculum persecutionis, aut denegandæ justitiæ, ut

Christus & Apostoli nihil potestatis exterius exercuerunt.

olim, iudicibus ethnicis existentibus, obstat: Accedit, quod neque salvator noster, neque Apostoli quicquam potestatis exterius exercuerint. vid. *Pufendorf. de habitu relig. ad vit. civ. §. 20. pag. m. 72.* sed illam omnem ei tribuerint, cui gladius non sine causa datus est. *Luc. 22. 23.* Et Christus ipse testatur imperium suum non de hoc mundo esse, quod etiam, nobis ad exemplum

in

in tota sua vita in humilitate, & obedientia plenissima, usque ad mortem, peracta ubiqve comprobavit: amorem, & in hoc humilitatem & crucem: non imperium, apostolis suis, prædicavit; Numquid vero, loquor cum Salvatore, servus major est suo domino, aut discipulus supra magistrum suum? *Matth. 10. v. 24.* Omnis itaqve potestas externa, quovis illa nomine salvetur, à Christo & Apostolis aliena fuit, & hinc etiam ab ecclesiastico ordini, quem salvatorem ejusque discipulos imitari deçet, merito revocanda. Quibus præmissis: necessario nunc sequitur; ecclesiæ, qua tali, nedum ecclesiæ ministris, pœnarum irrogationes profus non competere, ut pote quæ potestatem quandam præsupponunt & superioritatem. Neque hic obstant dicta, quæ alias à pontificiis pro tuenda aliqua ecclesiastica potestate adferri solent: Nam quamvis videantur potestatem quandam ecclesiæ præpositis pastoribus tribuere, rem tamen penitus consideranti facile patefcet, ibi vel de potestate singulari Apostolorum, vel de correptione quadam fraterna sermonem fieri *ex gr. Act. 20. v. 28. 1. Theff. 5. v. 12. 2. Thimoth. 5. v. 17 1. Cor. 4. v. 21. & 2. Cor. 13. v. 2.* Conf. M. A. de Dominis. *L. 5. c. 2. 37. 38. Pufend. all. loc.* Quæ autem de causis spiritualibus, spiritualitati ecclesiæ personarum, ceu clero, annexis dicuntur, ut hinc mixti fori sint, & eatenus ad spirituales ecclesiæ potestatem referuntur, & ad judicium trahuntur ecclesiasticum, illas, si ut sunt juxta doctrinam canonum examines, reperiæ, per hierarchiam papalem tales effictas, & nihil minus quam spirituales esse; nullam enim spiritualitatem habent ecclesiæ externæ, quin potius ratione ejus omnis distinctio inter geistlich und weltlich cessare deberet, ut eleganter probat Dn. Boehmer all. libr. & loc. ut sunt causæ matrimoniales similesve: Ut adeo imprimis quod ad pœnas quasunque attinet, eas ex spiritali concessa potestate, nisi per miram metamorphesin, hodie nequire inferri satis, opinor, expeditum sit; dum ipse Christus divinitus pronunciat; quod ex iis quibus summa externa potestas animadvertendi gerende ta non est, illa tantum libertatem puniendi habeat, qui ipse sine culpa existit.

Quid de
causis spiri-
tualibus de-
cendat.

An Aposto-
lorum spiri-
tualis pote-
stas huc fa-
ciat?

Joh. 8. v. 7. Si vero concedimus, dari spirituale ecclesie regi-
men, invicto argumento sequitur, quod quicquid spirituale est,
non debeat esse externum. Hinc quam primum illud aliquid
externe potestatis sapit, amplius spirituale esse desinit. & ab ec-
clesia necessario alienum. Quid de Apostolorum spirituali
Deo concessa potestate sentiendum sit? jam ex thes. 10. seq.
supr. adparebit; videlicet illam extraordinariam fuisse, ex sin-
gulari Dei gratia largitam ad ministerium evangelii, ut est pote-
tas clavium, potestas poenas, & qve divina hec & extraordinaria
iis communicata signorum, & miraculorum virtute, infligendas,
de qua testantur exempla Ananias & Sapphiras. Act. 5. & Elimas
magi. Act. 13. v. 11. & hac potestatis signa erant signa propria
immediata Deo ipsis dati Apostolatus, de quo ita Paulus 2. Cor.
12. v. 12. Signa Apostolatus, inquit, facta sunt super vos in omni poten-
tia, in signis, in prodigiis & virtutibus; Et ejus generis potestas fuit
quoque illa, de qua loquitur Paul. 1. Cor. 5. v. 5. 2. Cor. 13. v. 3. &
quoque locus 1. Cor. 4. v. 21. huc refert M. A. de Dominis de Rep.
Eccles. L. 5. C. 2. D. 42. In genere autem pro nostra sententia faci-
unt dicta. Matth. 20. v. 25. seq. Luc. 22. v. 25. seq. Joh. 18. v. 36. 2.
Cor. 4. v. 8. & 10. v. 4. 1. Coloss. 1. v. 24. Hec ita docenda fuerunt
in thesi, ut adpareat, quid juxta doctrinam Evangelii liceat ec-
clesiarum parochis, tam summis secundum statum hodiernum
depravatum, quam infimis, utque distinctius patescat, quanam
ad forum ecclesie proprie & quanam ad forum Reip. pertine-
ant. Quando vero papalis hierarchie studium aliam ecclesie
formam, humilem jolatam, effecit, & sub pretextu commissi
peccati pleraque pene civilia negotia ad judicium, quod for-
mavit, ecclesiasticum traxit. M. A. de Dominis all. loc. §. 52. seqq.
ac imperatores & summæ potestates seculares hæc ita dicta ec-
clesiastica jura Pontifici & clero ex cæca superstitione privative
concesserunt, reliquerunt, confirmarunt passim, & voluntario
amiserunt ipsi. Principes autem protestantes jure postliminii il-
la iterum revocarunt, nuncque in his plus habent quam impera-
tor, neque ista jura ab hoc in feudum acceperunt, in hac hypo-
thesi, utilis jam est distinctio inter jura ecclesiastica, seu Episco-
palia,

palia, ut loquuntur, & civilia; in illis enim, quamvis juxta tradita, ecclesiastica non sint, supremum & nulli feudali vinculo annexam potestatem si bi jure vindicant principes protestantes ob rationes adductas. Et si secundum hunc statum quæstio enascitur, quænam jura sint ecclesiastica? tunc non videndum & examinandum, quæ vere talia, illa enim essent nulla; sed quæ pontifici a principibus protestantibus erepta, & pontifex private possedit, ubi valebit regula: *quicquid injure canonico dicitur ecclesiasticum, illud est tale.* Et hoc sensu, quamvis Consistoria ex papatu originem habeant, tamen dicendum, illa nunc necessaria, nec papisticis principiis illorum collegiorum Constitutiones amplius nisi Confer. hic Disp. Dn. Parentis *de illicita a Principibus protestantibus provocatione in causis ecclesiasticis.*

Theol. XXXII.

Nunc ad alteram quæstionem accedimus: *num major vel minor excommunicatio ad poenitentiam publicam externam poena dicenda sit?* si pro responsione negativa rationes afferuntur, prima statim illa est, videlicet, respiciendum hic esse ad fontem, ex quo excommunicatio promanaverit, quem esse institutiones ipsas apostolorum & primitivæ ecclesiæ ex retr. deductis omnino adparet; tunc autem manifestum fieret, in primitiva ecclesia consuetam excommunicationem poenam aut coercionem externam non ad pellendam; cum ibidem, juxta concessa, nec finis aut intentio, nec effectus poenæ ad fuerit; potius ergo illam medicinalem vocandam esse, utpote, quæ emendat scandalum, corrigit peccantem, & eluit facti vitium. *Mev. P. 6. Decis. 357.* Hinc autem etiam excommunicationes majorem & minorem eandem intentionem eundem finem & effectum voventes, alius naturæ esse nequire necid circo ad poenas externas referri posse, sed inter censuras ecclesiæ competentes & salubres duntaxat connumerari debere, ex quibus deinde conclusio sua sponte sequatur, illas & de illis judicium ecclesiæ omnino competere, siquidem magna sit differentia, inter castigationes ad ecclesiam & poenas ad Rempublicam externam pertinentes, istas salutis æternæ, has munditatis,



tatis, finem intendere. Ejusmodi inquam sunt rationes, quæ pro coloranda negativa sententia plerumque adduci solent. Quod vero hæc argumenta lubricis fundamentis nitantur, rationesque rationibus destituantur, pro tuenda affirmativa nunc evincendum erit. Et primo quidem inauditum & in cognitum quid non est, quod ex re optima per abusum ejus res pessima fieri possit, quodque ex principiis veris, brevissimis etiam dumtaxat mutationibus, evidenter falsa evenire queant, uti hoc modo ipsa scriptura S. abusus est diabolus. Deinde, illud quoque ex §. 3. supr. satis constare potest, quod sæpius res quædam & circa ipsam intentio bona manere possit, ubi tamen circa modum errores & navi sunt conspicui; imo tandem & hoc manifestum est; quod sæpius per modi vitium vel ob modum ipsum, quamvis necessario, de quo infra, mutatum natura totius negotii alteretur, ut hinc ex summo jure summa fiat injuria, & ex correctione quadam fraterna pœna nascatur. Nunc ergo ad quæstionem præsentem, & quidem quod rationem dubitandi attinet, respondeo, me quidem utique existimare imo & demonstrasse supr. exclusionem a cœtu fidelium, olim usitatum, pœnam externam non fuisse eatenus scilicet, quatenus illa per negationem sacramentalis communionis simplicem & conscientiosam exercita fuit; quatenus vero totalem etiam vitæ societatis cum fidelibus privationem effecit, de quo dictum 1. Cor. 5. v. 12. eatenus in sensu improprio pœna negativa dici potuisset, quamvis propriè tantum familiaritatis cum peccatore habendæ negatio fuit: unicuique & hodie libera. Ex his autem, quod exclusio illa primitivæ ecclesiæ pœnæ nomen non mereatur, non licet concludere, sic etiam nec excommunicationem majorem, vel minorem pœnam esse. Quamvis enim hæc illam fontem agnoscat, quod tamen quoque indubio relinquendum est, tamen nunc juxta priora nil obstat, quin nihilominus in totum spectat. Quod enim ad excommunicationem majorem spectat, juxta doctrinam ipsorum pontificiorum illa pœna dicitur & revera est; nec deo dubitare quis potest, qui modo in excommunicationis istius ritus & effectus pœnales, supr. exhibitos, per

*Excommu-
nicatio ma-
jor ad pen-
itentiam ex-*

trans

transennam quasi intuetur. De excommunicatione vero, ut
 sunt, minori, quam saltem exclusionem a sacramento dicunt,
 quædam enasci posset dubitatio, & quidem si hæc consiste-
 ret in simplici illa conscientiosa S. Coenæ negatione & ab iis per
 modum fraternæ admonitionis, abstinendi a Sacramentis, iusta
 iudicata esset, quibus iudicium hic, iuxta tradita in th. 12. compe-
 rit, nullam utique poenæ externæ notam haberet. Verum
 & ista aliam effigiem apud pontificios prorsus habet, velenim
 contra distinguitur excommunicationi publicæ legitimæ, &
 privata dicitur & voluntario sustinetur. Vid. Lehmann. Chron.
 Spirens. L. 2. cap. 24. ab init. & tunc poena externa dici nequit.
 Sed involvit saltem quandam corporis castigationem, pro elu-
 endis peccatis suscipiendam *supra refutat. am. th. 23.* Et illa formali
 excommunicationis conceptu non gaudet; vel opponitur ex-
 communicationi maximæ, quæ alias anathematis, seu æternæ
 mortis damnationis nomine venit *can. omnis 11. qv. 3. l. 59. x. de sent.*
& excommun. & non nisi pro mortali crimine in ponitur illi, qui
 aliter corrigi non potest *can. nemo Episcopum 11. qv. 3.* & quidē dun-
 taxat propter causâ obfirmatæ contumaciæ & contumacis im-
 penitentia; ut ita ille prorsus satanæ tradatur *arg. can. 17. 14. qv. 3.*
hic. & tunc minor excommunicatio dicitur, quæ alias major vo-
 catur & omnino poena est, iuxta jam tradita. Eundem fere in mo-
 dum in hac distinctione se explicat M. A. de Dominis *all. libr. cap.*
9. n. 12. Et ita est iuxta doctrinam pontificiam heterodoxâ; quan-
 do vero nobis excommunicationem quandam minorem, non
 privatam quidem, sed publicam, quæ tamen tam rigidus effectus
 non habet quam illa, sic dicta, major pontificia excommunica-
 tio, fingimus & inquirimus, an illa poena externa sit? antequam
 ad responsonem provolamus, videndum primo; quid ad poe-
 nam externam requiratur; Videlicet quicquid lege humana
 constituente, vel auctoritate ejus, molestiam corpori, contra vo-
 luntatem hominis, licet in ipsius emendationem, infert; aut ad
 actum externum, aliquando satis adiaphorū, cogit, poenæ nonni-
 me venire debet & quidem affirmativæ; negativæ autem, quando
 aliquis illius ex auctoritate civili privatur, quod ipsi alias ut homi-

*ter. iuxta
 doctrinam
 ipsam pontif.
 poena est.
 De excom-
 mun. min.
 major est
 dubitatio.
 Sed illa apud
 pontificios in
 formali con-
 ceptu non
 conspicua
 est.*

*Distinctio ex-
 comm. ponti-
 ficiorum.*

*Quid de ex-
 commun.
 min.: bodi-
 erna?*

*Quid requi-
 ratur ad poe-
 nam exter-
 nam?*

*Distinguen-
dum: inter
excommu-
nin. & ne-
gationem
Sacram.
conscientia-
sam.*

*Competit
hec cuius
Ministro ec-
clesia.*

ni christiano debetur. Quibus præsuppositis, nunc facilis est
responsio, examinando indolem & naturam ejusmodi excom-
municationis, num ad hæc pœnæ externæ requisita accedat,
vel non accedat? Sic simplex conscientiosa S. cœnæ negatio
pœnæ externæ, aut civilis, nomē prorsus non meretur; illa enim
lege humana præcipiente ad minimum primitus non suscipi-
tur, neque ad actum aliquem externum involuntarium cogit,
neq; cum alia conditione fit, quam ut saltem quis privatam suam
penitentiam testetur, neque aliquem ligat, ut antequam sol-
vatur, non possit S. Cœnæ a quopiam particeps fieri, sed saltem,
quantum in negante est, S. Synaxis ipsi non conceditur: ne-
que igitur hæc negatio eucharistiæ ad excommunicationem,
vel exclusionem quandam externam pertinet; hæc publica est,
& ad totam ecclesiam spectat; illa vero privata in se, & cuius
ecclesiæ ministro competit; cum nullius coarctanda sit consci-
entia. Sed diximus supra & hujus eucharistiæ negationis judi-
cium ad totam ecclesiam pertinere, ut ergo hic manifesta con-
tradictio subesse videatur. Verum respondeo, competere qui-
dem omnino Ministro ecclesiæ hanc negationis facultatem
primitus, quia contra conscientiam nemo quid facere cogen-
dus est. quod autem si alter excipiat, injustum hic esse mini-
strum ecclesiæ, quod ipsi sine causa S. Cœnam denegat, tunc
omnino de justitia illa, vel injustitia coetum ecclesiæ repræsen-
tans collegium judicare oportet, juxta tradita in th. 12. sicq; pa-
rocho, facta hac negatione, Consistorii ad probationē sibi com-
parare vel eidē rem totam deferre debeat, hoc priori non con-
tradicit; sunt enim hæc ita subordinata. Hæc vero conscientiosa
S. Synaxis negatio nullis principiis papisticis nititur; non
enim ex clavium concessa potestate, sed ex dignitate Sacramen-
talis communionis fluit juxta th. 12. neque sic improban-
da est, quin potius, procul jussā conscientiarum tyrannide, illa
à nullo principe aut summa potestate: ne fiat, prohiberi
possit. Quando vero auctores juris ecclesiastici hanc nega-
tionem simplicem privatam confundunt cum excommunica-
tione, sive majori, sive minori: *qua sunt publica communionis sacra-
mento.*

*mentorum prohibitiones, & diversos ab illa effectus habent, tunc omnino summa imis miscentur. Non enim est excommunicatio proprie, nisi quæ publica est, & a tota ecclesia suscipitur, & igitur toto coelo ab hac negatio ista S. Coenæ, a privato aliquo ecclesiae ministro facta, differt: confer. M. A. de Dominis all. libr. 5. cap. 9. §. 12. seqq. Illa habet effectum publicum & juridicum, ut scilicet a nullo parocho illius dioeceseos, vel ecclesiae, ejusmodi excommunicato S. eucharistia administrari queat, quod in hac secus; illa intendit, & cogit, ut aliquis publice per certam quandam solennitatem poenitentiam ostendat; hæc vero tantum privatam ejus contestationem optat. Illa ad clavium potestatem, Apostolis datam, prorsus non pertinebat, juxta tradita in ca. 12. hæc vero, quantum ad præcedi hodie solitam absolutionem attinet, aliquandatenus ad eam, sensu tamen improprio, referri potest. Quando vero excommunicatio, quædam major, quædam minor vocatur; illa quidem dicitur, quæ a toto cœtu fidelium, hæc quæ a sacramentis fit; Cum tamen prior ob deficientem cœtum vere fidelium hodie tantum in furo consistat, hæc vero eadem publica auctoritate fiat, certum est harum excommunicationum; (non loquor de anathemate, illud enim S. scriptura prorsus improbat; *Nolite damnare, ne damnemini.*) alia atque aliam naturam non esse: potius pro hodierno nostro statu, de quo infra prolixius, per ejusmodi distinctionem saltem quorundam accidentalium effectuum aut rituum, differentiam indicari. Quo primū evicto, nunc facilis erit enodatio illius quæstionis, *num etiam minor excommunicatio poenæ externæ non in mereatur & ministro ecclesiae competat?* Ex jam dictis enim fluit, quod si per minorem excommunicationem, per abusum vocis, privata quædam Sacræ Coenæ negatio intelligatur; quoad primum membrum negative, quoad secundum affirmative respondendum: quando vero in suo significato vocabulum excommunicationis sumatur, prius affirmandum, posterius negandum sit; qua distinctione neglecta, mirifice ejusmodi quæstiones torquere solent Dd. imprimis quando per Aug. Confess. & Articulos Smalcaldicos facultatem arcendi aliquem a S. Coena inter res juris dictionis*

Ad formalitatem excommunicationis requiritur ut sit publica & auctoritativa.

Distinctio majoris & minor. excommunicationis hodie tantum accidentalium effectuum differentiam respicit.

Ex distinctione, b. exhibita, neglecta.



*nes ovian-
ur.*

*Respondetur
ad dubium
ex art. Smal-
caldicis de-
sumtum,*

nis relatae vident; sed hic neque Augustanae Confessionis, neque Articulorum Smalcaldicorum mens est: agitur enim ibidem non de simplici Sacramentorum conscientiosa negatione, sed de minori excommunicatione, quae duo maxime differre jam demonstratum est; vel omnia ibidem falso clavium potestati principio nituntur illud vero juxta ea quae haecenus evicta sunt in articulis Smalcaldicis contrarium nobis continetur, quo dmi- nor illa excommunicatio poena externa non fit. Sed error conspicuus est in eo, quod nihilominus ad jura jurisdictionis ministrorum ecclesiae eam referant; ubi repeto, quod quicquid fiat ex jurisdictione humana, altero invito, illumque ad actum quendam externum cogit, id ipsum poenam externam esse. Poenam autem externam ad ecclesiam qua talem, ne dum ad ecclesiae ministros, non pertinere thes. praeced. evictum est; adeoque nec excommunicationis vel majoris, vel minoris judicium

Theo. XXXIII.

*Num hodie
poenitentia
quaedam ec-
clesiastica sit
necessaria?*

Quando igitur sic tota doctrina de excommunicatione & poenitentia publica examinata fuit, ac illius natura pro temporum ac pieratis, & hominum malitiae & divini cultus diversitate ostensa sit: nunc quoque facilis erit consideratio de justitia, & injustitia, seu de usu & abusu poenitentiae hodiernae. Ubi prima erit & utilis quaestio, an hodie poenitentia publica ecclesiastica sit necessaria? Loquimur autem sic de tali ecclesiastica poenitentia, quae recte comparata est, ut fuit olim tempore primitivae ecclesiae; poenitentiam autem pontificiam, cum eam in totum improbaverimus, hic non in quaestione esse unusquisque intelligit. Et nullum quidem est dubium, quod dispar longe sit ratio status ecclesiastici primitivae ecclesiae, ab hodierno; ut igitur neque poenitentia, ut dicta apostolica seu publica, in quantum particulares illius primi aevi circumstantias respicit, quamvis in se nihil iniquitatis habeat, mutatis tamen illis circumstantiis, ac ipsius ecclesiae statu, hodie absolute necessaria dici queat. Ex. gr. quod de omnibus delictis publicis, minimis & gravioribus, poenitentiam publicam exegerint, hoc factum est ob rationes speciales, & illi ecclesiae

*Multa capi-
ta expanit.
primitivae ec-
cles. hodie
applicatio-
nem non pa-
tiantur.*

fiæ proprias, ut indicavimus *ib.* 7. & hinc, cessante hac ratione, merito quoque illa universalis, ut ita loquar, pœnitentiæ publicæ exactio cessat. Vellem hoc argumentum ulterius proficere, sed sufficiant hic verba: M. A. de Dominis *all. libr. 5. cap. 2. §. 55. Non omne peccatum inquit, publicum etiam & Adducuntur notorium huic publicæ substat censura, ecclesiasticæque districtioni, sed hanc in rem sola illa peccata, quæ externum ecclesiæ statum turbant, vel ipsam verba M. A. ecclesiæ scandalizant, adeo; ut si incorrectum & incorruptum ma. de Dominis. neat, ruine spiritalis causa, vel occasio multis futura sit. Neque vero peccata, quæ non sunt talia, excommunicationis gladio feriendâ sunt. quod pluribus deinde probat cap. 9. ejusd. libr. Sic secundum hæc utiliter ab ecclesia excluduntur, qui hæretica dogmata publice professi, nec ab hac professione hæctenus desistere noluerunt, & pœnitentia publica bene hodie exigitur ab illis, qui solenne bannum hæctenus meruerant; qui incantationibus, tanquam re licita usi, illud peccatum non esse professi sunt; qui religionem mutarunt, ac postea ad primam reverti intendunt; qui usum sacramentorum publicæ contempserunt similiaque, quibus infirmi in perversitatem ipsius religionis christianæ seduci possent, admiserunt; vel peccatis se contaminarunt, quæ civili correptione alias non sub sunt: quo Paulus respicit in tota epistola ad Galatas. Add. *Magd. K. O. c. 22. §. 7.* in quo tamen textu, simul cum jam expositis, omnia fere delicta continentur, ita ut si juxta tenorem ejus simpliciter procedendum, pro nutu, ac ingenio alicujus dominantis clerici vix aliquis sese huic pœnitentiæ subtrahere possit; præsertim ex subiecta clausula generali: alle dergleichen unchristliche und ärgerliche Leute. Cum igitur in jam nominatis peccatis hoc modo recte exigatur publica pœnitentia, vel ubi illa obtineri nequit, deprecatio, ob rationes adductas. Nunc videndum; qua ratione obtineri illa possit & debeat? Et quid supra ostendimus, exclusionem ab externo fidelium cœtu, seu ab ecclesia, etiam contra invitum recte exerceri posse; Siquidem ab illis fiat, quibus hæc potestas competit, & ille ab iis tantum rebus excludatur, quæ ecclesiæ, qua tali, sunt vid.*

0 3

Ordo

De quibusdam peccatis hodie in specie recte exigatur pœnitentia publica?

Et quomodo illa obtineatur?



Ord. Eccles. Magdeb. s. 22. Von Kirchen Bussē uod Bann s. doch
 soll ihn 26. magna vero est differentia inter hanc exclusionem
 & peragendam pœnitentiam, hæc enim ab homine, qua tali,
 ut vera & non fucata sit, non dependet, juxta tradita supr.
 nec adeo per brachium seculare obrineri illa poterit, & si fiat
 injustitia manifesta est. Quod prolixius demonstravit Vener.
 Dn. Parens in *Diss. de jure inhumanior. concl. 3.* In illis igitur delictis
 in quibus proficua est publicæ pœnitentiæ declaratio, mini-
 ster ecclesiæ necessitatem pœnitentiæ, ad evitandam scandala
 li maledictionem Matth. 18. ejusmodi exclusio, vel excommu-
 nicato homini, pro virili ob oculos ponere, eique, sine omni
 acerbitate, hoc quam maxime inculcare; quod nemini op-
 probrio sit, etiam publice de commisso peccato dolere; Ut
 hoc modo exclusio externa ad magistratus, ecclesiæ membro-
 rum, universum sanctorum, jussu principis exercentis, offi-
 cium spectet, pœnitentiæ vero publicæ peragendæ adhorta-
 tio tantum ad officium ministri ecclesiæ pertineat. Illa enim
 jurisdictionem sapit, ad ecclesiam, qua talem, non spectan-
 tem, hæc voluntaria hominis sui ipsius correctio publica esse
 debet: & quam primum ad pœnitentiam peragendam quis
 cogitur, rota illius natura alteratur, ut sic publica pœnitentia,
 uti privata coram Deo peragenda, sit negotium admodum
 laudabile, ac incertis delictis utile; liberum tamen nihilomi-
 nus, utpote a gratia Dei solum dependens; Aliud vero est;
 impœnitentem a communione sacramentorum publice ex-
 cludere, quod quidem jam monui sed hic subinde inculco.
 Et hoc modo contrarij non sumus ordinationi *Eccles. Magdeb.*
 in eo, quod illa dicat *cap. 22 §. 14. Et penult.* summe necessariam,
 h. e. maxime proficua, esse pœnitentiæ ecclesiasticæ indictionem,
 siquidem nos illud in thesi, de supra nominatis delictis,
 non negamus: Immo quin & de omnibus, ibidem expressis
 peccatis, & de pluribus insuper, juxta clausulam adjectam in
 §. 7. Und alle dergleichen unchristliche und ärgerliche Leute im-
 ponni & in amore exigi posse pœnitentiam publicam defendi
 queat, dubiū non est; modo tunc non ita crude lex intelligatur

*Pœnitentia
 publ. ut fiat
 ad Magistratus
 officium,
 ut vero bene
 fiat, ad eccle-
 siæ Ministros
 spectat.*

*Non sumus
 hic contrarii:
 Ord. Magd.
 eccl.
 Modo illa
 prudentem
 applicationem
 recipi-
 mus.*



ut verba jacent, sed eam cum prudentia, hic necessaria, interpretemur. Ut sic lex salva manere, abusus autem evidentissimè ostendi possint. Et cum supr. de bannitis, superstitionis incantationibus fidem adscribentibus, apostatis, iterum reverentis; ac ingenere de illis delictis; welche juxta phrasin d. Ord. *Eccl. cap. 22. §. 7. ihver viele gar für keine Cünde achten.* etiam sit; in specie adhuc de illis, qui nomine divino, ejusque Sacris publice ac sapius, quasi re prorsus licita, hæctenus abuti sunt, aut contentores sacramentorum extiterunt; cum enim contra hos raro soleat brachio civili animadverti, imo plerumque hæc & talia pro publicis criminibus in foro exte- no puniri non possint, necesse tamen sit, ut omnibus inno- tescat, hæc cum christiana religione ac doctrina nihilominus non convenire, aut simul stare posse; de eo publica conte- statio agnita illius veritatis in multorum ædificationem profi- cua est. Quod vero mox subjungitur, de illis, qui manus im- pias parentibus intulerunt, vel eo respicit, si tales, ad interces- sionem parentum, publica infami poena liberati sunt; tunc enim publicam contestationē coram ecclesia suadendam esse, ne infirmi hoc pro licito judicent, vix ambigi poterit; dummodo illud delictum publice innotuerit, & plane in a- price sit; vel etiam illum casum præsupponit, ubi tale deli- ctum sæpius iteratum, & (forte contra iniquos parentes commissum) diu non satis agnitum fuit, ex quo infirmiores scan- dalizari possent. Hisce d. §. subjunguntur, qui in implaca- bili odio contra proximum constituti, reconciliationem ad- mittere, aut in judiciali decisio acquiescere noluerunt, ac sic contra sententiam judicis, sub prætextu juris & justitiæ, via facti processerunt; Tales enim eo usque plane non toleran- di sunt in ecclesia, ne hæc videatur magistratui externo con- traria, & ejus refractarios recipere, donec publice constet, illos meliores mores promississe. Et cum hoc delictum ad præcedentem læsionem honorum parentum pertineat, supra dictis uberior explicandum. Porro huc referuntur d. l. ebriosi, qui se, propter bestialem hæctenus transactam vitam,

De qua in singulis de libris experimentum exhibetur.
 (1) *de illis qui nomine divino, vel sacramentis abutuntur.*
 (2) *de illis, qui parentibus impiis manus intulerunt.*
 (3) *de illis, qui in implacabili odio contra proximum constituti, reconciliationem admittere, aut in judiciali decisio acquiescere noluerunt, ac sic contra sententiam judicis, via facti processerunt.*
 (4) *De ebriosis.*



(5) De homicidis & seditiosis.

publica auctoritate, indigna membra ecclesie iudicati, & ex illa per aliquod tempus eiectione fuerunt, qui postea non aliter, quam publice contestata resipiscentia, recipiendi sunt. Dum vero hiæ subjunguntur homicidæ & seditiosi, facile adparet, hic non de homicidio, aut seditione; quatenus hæc tanquam publica crimina publicis atrocioribus pœnis coercentur, sermonem esse: tunc enim ante executionem pœnæ externæ, aut sacræ cœnæ admissionem ipsius puniendi, prius publicam deprecationem in ecclesia fieri debere, nemo contra communem totius germaniæ observantiam, ex hoc textu, sustinere facile conabitur, neque etiam de occisione, quæ inculpata tutela, aliove plane illicito modo facta est, hic agi per se manifestum est; ideoque hic locus respicit 1.) homicidia, non quidem ex directo proposito offendendi, cum magna tamen culpa commissa, crimine, multa forte aliave non omnibus factis nota coercitione, expiato; ubi ne quis vindex effusi sanguinis existat, de dolore inculpati merito publice constare debet, ut ab omnibus illud remittatur. 2.) Accipi potest de homicidio in foro externo impunito ex gr. tempore belli, a pyratibus, vel a limitaneis, von Schnabhabnen/ ex indulgentiâ imperantium, privato tamen ausu, & in perpetrantium commodum commissio: item de adultero, vel fure nocturno, in calore tamen iracundiæ, & ex proæresi occiso; hi enim, quamvis pœnas externas effugiant, tamen cœtui ecclesie non sociandi, nisi constet, quod de malitia illa resipuerint. Porro sequuntur in d. textu delicta carnis; Hurer/ Ehebrecher/ Blutschänder/ ubi, quoad primum, distinguendum; inter scortationem & stuprum: circa illam in hæc oris indubitatum erit, publicam meretricem, seu quæ corpore quæstum facit, & juxta glossam tricies centies millies seu in infinitum varios admittit, & illos qui cum tali rem hubuerunt; sicque illud peccatum quasi licitum commercium exerceuerunt, in quantum publice seu judicialiter hoc notorium factum, sine publica contestata resipiscentia ad communionem ecclesie non recipiendū esse. Quemadmodum nec illi, qui de stupro, honestæ alias

(6) De scortatoribus & incestuosis.

fecit



fœminæ, illato convicti sunt. Quod vero miserae stupratæ
 vulgo nomine meretricum veniant, ac variis persecutioni-
 bus, tam ecclesiasticis; sub nomine pietatis, quam seculari-
 bus avarorum judicum torqueantur, omni misericordia & o-
 pe potius dignæ, de miseria sua infinitis suspiriis dolentes,
 immo non tam libidinosi actus, quam innocens & naturale
 puerperium publice ecclesiastico opprobrio subjiçiatur plus
 quam inhumanum est. De adulteris & incestuosis, publice
 diu notis, nec ex republica ejectionis, aut punitis, publicam con-
 festationem pœnitentiæ exigi posse *ex supr. dictis* liquet.
 Adhibenda tamen quoque hic est prudens consideratio: U-
 trum, sub spe conjugii, ac persuasione liciti, ad incestum qui-
 dam in casu, forte alias dubio, venerint; aliarive circumstan-
 tiarum juxta prudentissimum consilium *in cap. 8. de poenit. &*
remission. Quod ad furti, vi bonorum raptorum, quos per vo-
 cem *Häuber* hic intelligi existimo, aut illiciti fœneris convic-
 ctos attinet, non intelligendum, de simplici & leviori tali
 transgressione, sed quatenus hæc delicta, ex iteratione aliis-
 ve circumstantiis, in atrocitatem facinoris incidunt, vel alias
 scandalum dederunt. Sic ex. gr. de furto simplici infra quin-
 que aureos *in Constit. Crim. Carol. art. 157.* prædicatur: *Das*
sey ein schlechter und geringer Diebstahl. Cum ergo non quæ-
 vis, sed tantum graviora delicta, & inveterati mores, publica
 hac censura tantum subiaceant *per retr. dicta*, non convenit,
 propter quodvis exiguum furtum, similemve transgressio-
 nem, publicam pœnitentiam exigere: præsertim, cum forte
 & ipse presbyter avaritia sua, vel denegatione alicujus ope-
 ris charitatis, a furti reatu in foro Poli immunis non sit. De
 ejusmodi furto morali vid. *Explicat. Vener. Dn. Parent. præcepti. 8.) De per-*
non furtum facies. Sequuntur *in d. textu* per juri, & conjugum *juris & con-*
 desertores malitiosi, quod quam maxime etiam de illis perju-
 riiis & temerariis juramentis, quæ vulgo frequentari solent in-
 telligendum est, vid. *Can. 12. in fin. & can. 13. caus. 22. qv. 1.* mali-
 tiosa vero desertio, sine superinducta alia conjugæ, post redi-
 tum deserti propterea publicam censuram requirit, ut quis-
 que

7.) De furto
 vi bonorum
 raptorum, &
 impiis foene-
 ratoribus.

P

que

que sciat, quantam obligationem inseparabilis consuetudinis conjugium inferat. Et ejusmodi prudentia in cæteris quoque delictis, hic non expressis, adhibenda est. Quam crudam vero hæc sæpius adplicationem patiantur, experientia satis docet, ut hinc similitates & infinitæ hypocrites oriantur.

Thes. XXXIV.

*Cur hodie a-
lia circa sub-
jectum pu-
blica peni-
tentia do-
ctrina esse
debeat?*

Cum sic ostensum sit, in quibus nam peccatis, & quo- usque publica pœnitentia utilis sit? nunc de causa efficiente pœnitentiæ hodiernæ, mediante excommunicatione impo- nendæ, brevis quoque erit disquisitio. Ubi itidem ea, quæ in primitiva ecclesia hic observata, & sub hoc pallio, inique a pontificiis retenta sunt, absolutam adplicationem pati ne- queunt. Quod enim in primitiva ecclesia pœnitentiæ publi- cæ impositio ecclesiæ, qua tali, competebar, & deinde in illius doctores transferebatur, juxta tradita in *ib. 16.* duas habebat rationes, hodie cessantes. Altera erat, quod exclusio illa in actu affirmativo & legislatorio non consistebat, neque ritum quendam solemnem, aut deprecationem præscriptam, exige- bat, sed saltem simplici communionis sacramentalis, & quasi pactitia nimis cum peccatore familiaritatis negatione absol- vebatur; quo pertinet dictum *1. Cor. 5. v. 9. seqq.* & sic pœnæ alicujus characterem prorsus non sapiebat, utpote quæ saltem a superiori imponi potest; Altera quod tunc temporis di- stincta fora non habebant christiani, & sic omnia quoque ex- terna & civilia negotia ab ecclesiarum ministris & senioribus conventionali quodam jure tractabantur. Utrumque juxta statum nostrum hodiernum aliter se habet. Hodie enim non amplius tam pia ecclesiæ externæ membra conspicua sunt; ut citra civilem auctoritatem, impœnitens per universalem om- nium familiaritatis cum illo evitacionem excludi, aut pu- blicanus haberi, queat; quin potius sic, non obstante im- pietate, apud plurimos æque, ut alii vere fideles, nomen chri- stiani retineat, ut adeo, si ipsius non christiani mores offendi- culo infidelibus esse non debeant, publica quadam auctori- tiva displicentia opus sit, per excommunicationem quandam, vel

vel imponendam ecclesiasticam poenitentiam, aliquando de-
 claranda: Cum autem hoc ita vere se habeat, & nunc illud
 insuper ex th. 31. certum sit, quod hodie, quæ jurisdictionis *Ex commu-*
 sunt, & auctoritatem quandam externam requirunt, non *nicationis*
 plius ab ecclesiæ ministris expediri queant, sed hæc ad magi- *& peragen-*
 stratus politici officium pertineant; neque ab hoc illis *de poeniten-*
 concedi soleat, ut falcem immittere in alienam messem *tie iudicium*
 possint, satis, arbitror, manifestum evadit, quod poenitentia *hodie ad*
 publicæ, mediante excommunicatione imponendæ, iudicium *Magistra-*
 ad regimen externum pertineat. Neque illud ipsum theo- *rum exter-*
 logicam requirit scientiam, aut bono etiam politico difficile est, *num perti-*
 cum tantum de externis assumatur. Et licet finem habeat *net.*
 theologicum, internæ emendationis peccatoris, & scandali
 sumendi, aut spiritualis aliarum animarum ruinæ, precautio-
 nis; illud tamen eo minus huic obstat, quo certiores esse
 possumus, oportere etiam magistratum externum divinæ glo-
 riæ promotionem in votis habere; ne dum, quod finem hunc,
 si obtineat magistratus externus, non sibi, sed divinæ miseri-
 cordiæ & Spiritus S. gratiæ tribuat, scandali vero evitacionem,
 ut & ne alii ejusmodi peccatum prolicito habere queant, aut
 peccator impoentens infidelibus, ut sunt Judæi, christianæ
 religionis amplectendæ offendiculo esse possit, certo obtineat.
 Non enim Magistratui hodie tantum incumbit Remp. ut
 Remp. regere, sed Reip. ut Reip. Christianæ præesse, & sic
 non solum, quæ ad humanam societatem, sed & quæ ad reli-
 gionem divinam pertinent, curare debet; Muller in *Præsid.*
Dom. Illustr. cap. 5. posit. 3. Add. Struv. *Synagm. feud. cap. 3. §. 7.*
 Quando autem hisce quis opponeret, hoc saltem ita se habe- *Ratio dubi-*
 re in illa hypothese, quod poenitentia publicæ impositio *tandi nova,*
 na sit, illud autem contra naturam ejusdem prædicari, & hinc
 ad faniora hic principia recurrendum esse primitivæ ecclesiæ;
 siquidem concessum fuerit, exclusionem tunc temporis usita- *Responso,*
 tam poenam, qua talem, non fuisse ille responsum ferat: ec-
 clesias externas & Resp. considerandas esse, ut sunt, non uti esse
 debeant, aut fuerunt olim. In primitiva ecclesia forsan omnes

proprio motu, & conscientiae ductu vitabant, juxta monitum Pauli, impoenitentis nimium consortium, ut adeo, ratione hujus, citra formale judicium, aut ferendam sententiam, a coetu fidelium exclusus erat; Hodie *juxta retrodicta* illud ad effectum hoc modo deduci nequit, sed magistratus externi officio hic opus est, ut ille obfirmate impoenitentem ita vel omni bonorum consortio, vel Sacramentis indignum solenniter pronunciet. Alias enim excommunicationis nomen non habent exclusiones a sacramentis, sed manent conscientiosae unicuique Ministro ecclesiae competentes Sacramentorum negationes, *de quibus supr. actum* licet & de illis, ob saepius hic conspicuos Ministrorum ecclesiae affectus & passiones Consistorium judicet: illorum enim judicium in illo casu non aliter assumitur, quam in quantum seniores ecclesiae repraesentant, & admonitionem dant impoenitenti, ne ante peractam seriam poenitentiam ad S. eucharistiam accedere debeat; Quando vero cum illo effectu fit, ut nemini, qui vel quam maxime de peccatoris interna resipiscencia se certum esse credit, licitum sit S. coenam eidem administrare, donec ille per publicum famosum ritum, ita dictam, poenitentiam egerit, tunc dubium non est, istud externum regimen sapere, nec consistoriis qua senioribus ecclesiae, aut arbitris, sed qua magistratui seu iudici externo competere; Cum igitur ex his & thes. 31. supra satis constet, nec majoris, nec minoris excommunicationis externae judicium ad ecclesiae, qua talis, & ab omni externa potestate merito alienae, membra pertinere, sed illi tantum competere, qui τὸ κύριον in Rep. habet, & caput externum ecclesiae est; sequeretur exinde, quod putat Conring. *ad Lamp. all. loc.* illud inter reservata summarum potestatum referri debere, & sic nec Consistoriis concedendum. Verum enim vero, quia negotium hoc tale est, quod exactam peccatoris vitae cognitionem requirit, & quoque olim a toto fidelium coetu semper executum, merito illud ita retentum est, & Consistoriis tanquam coetus illius senioribus relictum, & illis ad hoc necessaria externa potestas a principe data fuit, qua sublata, con-

*Quandoque
judicium
consistorii
accipitur, ut
seniorum ec-
clesiae ali-
quando vero
ut Magistra-
tus externi.*

*Cuius vero sic
illud non
pertineat ad
reservata
summarum
potestatum?*

conscientiosa quidē sacramentorū negationis iudicium nihilominus haberent, excommunicare vero cum effectu auctoritativo non possent; De hoc ultimo vid. CarpZ. *juris pr. Conf. L. 3. def. 84. & 85. cum plur. ibid. all. Dd.*

Incidenter his, cum de Consistoriis actum, annecto illam questionem: an etiam philosophus aut Ictus possit esse Consistorialis? Supr. dictum est, collegium hoc seniores ecclesiæ repræsentare, ex quo illud certissimum evadit, requiri ut ipsa istius membra sint pia, fideles, & vitæ & dogmatum integritate ac puritate conspicui, aliis suo exemplo prælucentes; ut adeo juxta hæc ad datam quæstionem respondendum sit: philosophum & Ictum consistorialem esse posse, non qua est Philosophus aut Ictus, sed qua bonus christianus est; impium autem, aut in fide christiana vacillantem ad ejusmodi munus ad moveri non debere. Insuper vero cum & varia civilia negotia tractentur in consistoriis juxta tradita *in lb. 31. quæ juris prudentes exigunt, & quoque de dogmatibus theologis, auctoritate principis, disponere debeant, recte Theologi & Icti ad ejusmodi munera admoventur, & simul collegium hoc constituunt; Carpzov. all. Libr. 3. def. 1. n. 7.* Philosophus autem, qua talis, consistorialis esse non potest. Priora vero requisita prorsus abesse nequeunt, si bene consultum esse debet Reip. Christianæ, quam raro autem ad illa attendatur, experientia satis comprobare potest, quo pertinet Tilemanni Hefhusii iudicium *apud Dedekenn. Consil. Theol. Vol. 1. P. 3. M. 3. Sect. 2. n. 92.* Hæc sunt ipsius verba: *Gnade Gott dem armen Herrn Christo/ wann die Juristen so sich oft wenig um Gottes Wort bekümmern/ und H. fleuchte die ihren Catechissimum nicht gelernt haben/ sollen decreta und Beschlüsse machen/ wie man die Sünde straffen/ falsche Lehre wiederlegen/ die reine Wahrheit erklähren/ und die armen Sünder gen. Himmel führen solle.*

An Ictus, vel philosophus possit esse Consistorialis? cum distinctione resolvitur.

XXXV.

Cum itaque hæctenus ostenderit, omnem externam exclusionem, quæ non duntaxat conscientiosa est, sed effectum conjunctum habet auctoritatis, ad ecclesiæ ministros non pertinere.

P 3

tine.

*requiritur,
ut potestari
dece-
nentis
sit subjectus,*

tinere, neque Senioribus ecclesie, qua talibus, competere, sed ab externa dependere potestate, facile nunc illud patefcet; illam contra superiorem exerceri de iure non posse, neque contra eum, qui parem dignitatem habet, vel quoque decernenti exclusionem etiam sacramentalem tantum, sed quæ effectum externæ potestatis sapit, non subjectus est. Proinde etiam in ipso papatu Episcopum Episcopum excludere aut excommunicare non posse doctrina fuit Lehmann. *Chron. Spirenf. l. 2. cap. 24. p. 132. in med. Et supr. adduximus etiam mediævi Episcopos, agnovisse, sibi ejusmodi quid contra Reges non competere: uti elegans dictum est apud all. Aut. Gregorii Episcopi Turonensis ad Regem Chilpericum. Si quis de nobis inquit O Rex justitia tramiem transcendere voluerit, ate corrigi potest. Si vero tu excefferis, quis te corripiet? Loquimur enim tibi sed si volueris, audis, si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is, qui se pronuntiat, esse justitiam?* Sed dicis hæc iterum contra doctrinam primitivæ ecclesie esse supr. adductam. Et ita se habet, sed salva nihilominus res est, si consideres, non tantum formam & modum publicæ exclusionis mutatum esse, sed & hodiernum primitivæ ecclesie usitatæ exclusiones fingi quidem, verum ad effectum deduci ob deficientem ejusmodi cœtum fidelium prorsus nequire. Ut sic nunc vel in totum cessare debeat publica Sacramentorum interdictio, vel externa civili potestate ad ejus exercitium opus sit. Cum vero de hoc ultimo lex scripta extet, nunc res, ut sic, est consideranda. Et quidem non male actum esset cum nostra Rep. christiana, si frequentius ad hominū seu membrorum ecclesie vitæ genus attendatur, ac scandalosi & impœnitentes peccatores, usque dum pœnitentiam publice declarent, vel scandalum deprecentur, sacramentorum participatione indigni judicentur. Dico vero impœnitentes, ad indicandum; hominem juxta saniores doctrinam ad usū Sacramentorum, quantum ad pœnitentiam publicam peragendam attinet, excludi non posse, nisi impœnitens fuerit. Ad hoc enim operarunt quibusvis ecclesie temporibus exclusiones tam publica, quam privata a sacramentis, vel coetū fidelium, ut

*Est quidem
hoc contra
doctrinam
prim. eccle-
sie; nec
tamen inju-
stum.*

*Ut quis ex-
communic-
tur ad publi-
cam pœnit.
requiritur,
ut sit impœ-
nitens,*

ali-

aliquis respiciat & respicientiam suam ei, vel illis ostendat, a quibus est exclusus. Sic cum in primitiva ecclesia a toto fidelium cœtu assumeretur exclusio, etiam coram omnibus pœnitentiam suam de peccatis commissis ostendere debebat, si iterum ab omnibus vellet recipi. Quando hodie quis excluditur privatim a paracho, ei tantum constare debet de ipsius, cui negaverat sacramentum, pœnitentia & tunc recipi quoque ab eo poterit. Si vero a toto Consistorio excludatur per sententiam, tunc etiam sufficere, ut quis coram hujus Collegii membris & ecclesie Ministro, qui ipsi deinceps sacramentum S. cœnæ administrare debet, pœnitentiam ostendat. Si itaque de pœnitentia peccatoris constat, nullum est dubium, quin etiam statim sit recipiendus in ecclesiam, vel eidem Sacramenta administranda. Et si sic saltem de exclusione peccatoris, notorie impœnitentis, usque dum pœnitentiam agat, loquimur, illa ut contra aliquem decernatur, non opus est, ut delictum scandalosum commiserit, sed potius prorsus ad spiciendum peccati qualitatem non respicitur, sed duntaxat ad impœnitentiam. Alia vero res est, si publica exigi debeat a peccatore deprecatio; illud enim laesionem & scandalizationem, ut ita loquar, necessario præsupponit, ut adeo in hujus exactione potius pœnitentia jam peracta præsumi debeat, quam quod ad impœnitentiam respiciendum sit. Et uti hic constat, ad qualitatem peccati respiciendum esse, ita supr. adduximus, quomodo peccatum, qualificatum esse debeat, ut illa exigi possit. Sed quo hodie nos deduxerunt tempora? Nunc eum exclusiones potestativæ a sacramentis fiant, quæ dicuntur excommunicationes minores, nec ad subiecti, nec ad peccati qualitatem attenditur; vel quod clarius est, peccator non amplius excluditur, ut internam seriam pœnitentiam agat & hoc per bonos fructus ostendat, sed saltem ut ordinationi ecclesiasticae qualicumque, & quibusvis principiis nixa, erude per ritum quandam famosum satisfaciatur, sive delictum scandalosum sit, sive non. Exemplo res evadet magis clara: Est mulier, quæ forte improbis alicujus juvenis perturbationibus seducta, stuprum

Ubi ad peccati qualitate

Aliud est, si loquar, necessario præsupponit, ut adeo in hujus exactione

Abusus gratissimus est, quod ad hoc hodie non attendatur.

Quod manifestum sit



*exemplo sunt
præclarum,*

prum passa est; Illa in alium locum, quam quo peccatum commissum est, se recipit, ac ibidem partum edit: Quæro num hæc scandalizaverit ecclesiam? an non potius omnes super illam gaudebunt, quod scærum non celaverit, illumque non interfecerit? Et certe quod partum ediderit pro peccato haberi non potest: quod vero prius peccatum voluptatis attinet, illud nec solet publice committi, nec quoque juxta hunc casum in illo loco perpetratum est: non dicam jam, quod plerumque & ipsa partus editio paucissimis nota sit. Nunc illa pœnitens est, & de peccato commisso intimius dolet, vultque divinæ misericordiæ per S. coenæ participationem in fidei suæ robur certior fieri; Sed repellitur illa & in bannum ecclesiasticum quasi truditur, nec aliter ad usum sacramentorum admittitur, donec per illam publicam, ita prætentam, pœnitentiam, se prostitui patiat; quasi ejusmodi, sub spe matrimonii forsân deflorata, honesta alias puella, famosa meretrix & quæ corpore quæstum fecit, esset; de qua utique non negamus, quod propter ejusmodi vitam, præter secularem pœnam, ab ecclesia per excommunicationem publicam, donec eam pœniteat peccatorum ejici, & secuta pœnitentia, ab eadem publica deprecatio, vel in Ecclesia, vel in Consistorio facienda, de qua Vid. Carpz. *all. libr. 3. tit. 7. def. 83.* Exigi possit. Confer. quæ dicta sunt th. 33. Hujus enim delictum atrox & universo cœtui scandalosum fuit, juxta requisita excommunicationis imponendæ Carpz. *all. libr. def. 89. per 101. & def. 90. in pr. § 1.* Illa, furore amoris, ut dicitur in *nov. 74. cap. 4.* seducta per astutiam juvenis, ex imbecillitate humana peccavit, & peccatum commisit, quod in ipso matrimonio toties committitur; quæ idcirco non damnanda, sed in amore de peccato admonenda est 2. *Theff. 3. 15.* si vero resipuerit & de peccato commisso dolet, ideo, quod peccatum scandalosum & grave non commisit, ad deprecationem publicam adstringi non poterit. Sed quis ad hæc attendit hodie? ubi mulieres partum edentes, ad sic dictam, pœnitentiam publicam brachio externo coguntur, quod prorsus inhumanum & impium esse

esse demonstravit Honor. Dn. Parens in *Diss. de jure inhumaniori*. ad meretrices vero maxime famosas prorsus non attenditur, nisi quod seculares iudices ab eis poenas sumant, interdum & vectigal den Wilt. Soll. Si quaeris unde hi abusus & *fons hujusmodi* perversa iustitia? Respondeo: quod hunc casum attinet, *fabus*. tendū esse, non in Jevi hic culpa versari ipsos ecclesiae ministros, qui propter sanctum denarum, quem pro illa publica deprecatione, procuratorio nomine facienda, accipiunt hic tam severi existunt; non attendentes, se per sanctam ambitionem, aut avaritiam aequè graviter amorem Dei læsisse, quam quidem misera hæc puella fecit; quod vero in genere ad ejusmodi in *Causa aliorum abusus* poenitentia, sic dicta, publica conspicuos abusus attinet; illi eo redundant, quod tota disciplina hæc inversa fuerit. Ille autem *un-* perversus processus, quem in hac thesi exhibui, quot coram Deo & hominibus abominandas partuum abactiones, quot horrenda & immanissima infanticidia, non produxit? Ut casum memini hic contigisse, ubi famosa poenitentiae hujus metu etiam uxor, quæ ante justum tempus a die nuptiarum partum ediderat, eundem interfecerat. Quæ atrocissima facinora ex perversa illa poenitentiae huius adplicatione, ad eamque coactione inhumana, oriuntur; De quo vero putas, quod sanguis hic occisorum innocentium conqueratur coram Deo, & vindictam exposcat? Sed nimis a scopo me dilapsum esse videri quiret. Sed non sum: consideravi enim hactenus *unicum fere poenitentiae* doctrinam, de subjecto publicæ hodiernæ poenitentiae, uti *h. subjectum constituunt* est; ubi tunc potissimum subjectum ejus ostensum est: Raro enim fit, ut ab aliis peccatoribus publica deprecatio exigatur; *stuprata.* quo pertinent verba D. Gerhards Loc. theol. Tom. 3. p. 732. *Publica poenitentia, inquit, vestigium quoddam in nostris ecclesiis adhuc reliquum; quando scortatores: (melius dixisset stupratae, vix enim est, ut præter quosdam pagos, stupratores & scortatores illam agant; ut adeo fere in sexu femineu eam tantu competere defendi queat) ad publicam deprecationem adiguntur. Oportandum autem foret, nervos ecclesiastica disciplina in hac effata mundi senectate arctius adstringi & in aliis quoque publicis ac notoriis delictis hanc*

2

salu-

salutarem severitatem adhiberi. Nos quidem, quod ad adjectum votum attinet, referimus nos ad ea, quæ *supr.* diximus, cum de necessitate hujus disciplinæ actum fuerit; Illud vero certissimum, juxta dictum Gerhardi, quod in hoc passu male comparatum sit cum nostro ecclesiarum statu, quando illis pœnitentiam summa cum severitate injungimus, qui maxime ab eadem vel saltem præter multos alios immunes esse debebant; illi vero immunes sint, qui illam præter cœteros commuerunt. Ut propter hunc abusum merito dicamus, doctrinam hanc vel prorsus rejiciendam, vel hic aliter procedendum esse. Quando vero consideramus, quinam, posito vigore hujus disciplinæ, juxta saniora principia subjectum ejus constituent, tunc secundum distinctionem jam sæpius inculcatam, separanda sunt hæc; (1) excommunicationes publicæ a sacramentis, ab imponendis publicis pœnitentiis; (2) publica imponenda pœnitentia a deprecatione publica. Excommunicationes contra invitos impœnitentes quoscunque, potestate tamen illa ecclesiastica subjectos, competunt: ad publicam vero pœnitentiam peragendam inviti non possunt cogi, sed illa in arbitrio excommunicati relicta manere, illius respicientiam vero piis precibus Deo commendari debet. Hujus vero impositio hominem nondum conversum præsupponit, quamvis ejus vera peractio verè pœnitentem ostendat. Publica deprecatio etiam post peractam pœnitentiam injungitur; Et illam, si in ecclesia fieri debet, liberam esse oportet, non coactivam, secus si in judicio fieret, ubi externa ad eam coactio illam non vitaret. Quamvis vero libera manere debeat, non tamen pius existimandus est, qui eandem, si recte comparata esset, commisso scandaloso delicto, recusaret, & sic ei prius sacramenti participatio recte non concederetur; ut vero ex his adparet, illa locum non habet, nisi in crimine publicè commisso & toti ecclesiæ scandaloso, etiam juxta ea quæ tradita sunt: th. 33. His ita rectè separatim, hodiernus ecclesiarum externarum status considerandus est: ubi adparet, publicæ pœnitentiæ exactiones, in formali earum con-

Semper quando de subjecto b. pœnitentiæ queritur, separanda sunt pœnitentia publica & deprecatio.

Et tunc hodiernus ecclesiarum

conceptu, amplius conspicuas non esse; quando enim hodie dicitur, publicam alicui impositam esse pœnitentiæ peractionem, tunc proh dolor! existimare non debemus, quasi ille toti ecclesiæ cœtui per bonos fructus suam ostendere debeat respicientiam; sed saltem, quod illum, ante admissionem ad sacramenta, per publicum actum se graviter peccasse profiteri, & remissionem a lætis ecclesiæ membris exigere oporteat: & si hoc hypocritico quamvis spiritu, faciat, bonus iterum christianus habeatur. Quis non videt abusum hunc esse gravissimum, & idolum hoc publicæ pœnitentiæ nomen prorsus non mereri: Et quamvis refutaverimus pontificiorum publicam pœnitentiam, obtinuit tamen quædam vere, illaque observata fuit, idque de ista manifestum est, quod, juxta perverfa illa principia, magis pia dicenda sit, quam quidem nostra hodierna, sic dicta, ecclesiastica pœnitentia, quæ prorsus talis non est. Ut certe inficias ire haud possim; rubrum hujus Dissertationis ratione hujus recte comparatum non esse; quia cum hodie nullam habeamus publicam pœnitentiam, frustra de illius abusu disquisitio instituitur. Et in totum ejusmodi rubri positio vitio laboraret, si de sola hac pœnitentia ejusque abusus actum esset, quia vero omnem de pœnitentia publica doctrinam, quæ est & fuit, exponere animus erat, aliter nihilominus rubrum concepi non poterat. Publicæ igitur pœnitentiæ impositione hodie non conspicua; in nostris ecclesiis nihil amplius observatur, quam excommunicationes, vel impœnitentium peccatorum, vel pœnitentiam profitentium, ad pœnitentiam publico quodam actu, non factis, sed verbis, declarandam & faciendam simul deprecationem. In quem finem aliquis; vel ab ecclesia in totum rejicitur, vel sacramentorum participatione indignus declaratur. Illa tantum propter maxime pertinacem impœnitentiam imponi debet, per retro tradita, illi qui aliter corrigi non potest, & si citra hæc requisita decernatur, in totum injusta est; uti & rarissima ejus inveniuntur exempla in nostris ecclesiis. Hæc vel ob nondum secutam hominis, in

status considerandus.
Qui docet publicas pœnitentias amplius conspicuas haud esse.
Et illud est quod abusus gravissimos parit.

Tantum obtinent excommunicationes ad deprecationem publicam faciendam.

Q₂

fla-



*In omni ve-
ro excom-
municatio-
ne obri-
net regula:
nullum re-
spectum per-
sonarum ad-
mittendum
esse.
Regula huius
exceptio.*

flagrantibus publicis peccatis viventis, pœnitentiam decernitur; vel etiam juxta ea, quæ dicta ante sunt, in pœnitentem exercetur; ut ille prius publicam faciat deprecationem Carpzov. L. 2. tit. 18. def. 281. In utraque hac excommunicatione ad publicum hunc actum obtinendum, præsupposita, juxta priora, vel impœnitentia, vel delicti qualitate & personæ, in quam statui decet, subjectione, valere debet Regula: nullum admittendum esse personarum respectum, si quidem illæ circa administrationem sacrarum rerum versantur, quas æqualiter dispensare decet. Vid. Ord. Eccl. Mag. deb. cap. 22. §. 11. Sed dicis: hac ratione, ob harum rerum conspicuam æqualitatem, nec Magistratus, aut superiores, & sic nec ipsos principes exemptos esse posse; & contra omnes peccatores eandem severitatem adhibendam fore; Non respondebo in thesi ad hanc veritatem, illud vero ex *supr.* allatis in hypothese adparet, ejusmodi æqualitatis doctrinam hodie ad effectum deduci nequire, sicque ad hanc objectionem saltem repono, quod dicit Lehmannus in *Chronic. Spirens. L. 2. cap. 34. p. 131.* In vita regum, h. e. superiorum, inquit, & moribus occultiora vitia dissimulanda, dubia mollius interpretanda, manifesta eatenus ferenda, modo non perniciem publicam secum irabant. Et tantum de subiecto excommunicationis, ante, sic dictam, pœnitentiam hodiernam imponi solitæ. Non enim hic opus est, de personis in particulari tractationem assumere, cum neminem potestati, ut ajunt, ecclesiasticæ subiectum, cujuscunque dignitatis sit, hic exclusum statuamus: quapropter etiam illa; quæ supra de ministris ecclesiæ diximus, hic repetita volumus.

Thes. XXXVI.

Quando ad abusus, circa hæc hætenus dicta, de subiecto publicæ pœnitentiæ, hodie committi solitos respicimus, in limine quasi deprehendimus, non nisi miseras personas, quarum miseria summam misericordiam efflagitaret, huic ecclesiasticæ, ut dicitur, disciplinæ subesse, quod exemplo stupratarum, in priori thesi allato, satis manifestum evincitur. Miror Carp-

Carpzovium Juris ecclesiastici alias peritissimum hic docere, *nō* Carpzovii
 quod Nobiles dispensatione speciali a publica hac pœnitentia, ut dicitur, immunes esse possint, & loco ejus multa pecuniaria coerceri, ex ratione, quod in pœnitentia arbitrariis sæpe dispensatio
 ratio dignitatis habeatur, Friedlib. in *Medull. Theol. Loc. de div. nobiles*
scipl. eccles. qv. 26. & Chaffan. in *catal. glor. mund. P. 7. Consider. 3. hic immunes*
 & *P. 8. Conj. 33.* Cum tamen ipse fateatur, quod personæ nobiles regulariter a deprecatione publica exemptæ haud sint. *L. 3. tit. 7. def. 93. n. 12.* Certe ratio adducta tanta non est, ut illi, commisso scandaloso delicto, in multorum ædificationem a deprecatione ecclesiastica liberari debeant. Per quod enim salus totius ecclesiæ obtineri debet, illud in arbitrio judicantium positum esse nequit, aut sic arbitrarium esse. Et, certe si ad ipsius peccatoris pœnitentiam, & obtinendam remissionem facere deberet publica hæc deprecatio, ut ille quidem putat *n. 1.* ad hanc per pecuniariam multam via non erit, & quod vere ita se habet, per ejusmodi pœnam scandalum ecclesiæ datum expiari non poterit. Loquor hic secundum principia deprecationem se publicam non imponendam esse, nisi ob delictum, quod toti ecclesiæ scandalosum fuit, eo sensu: uti scandali dationem explicavimus *th. 7.* Sed & juxta ipsius Carpzovii principia sententia ejus non cohæret. Statuit enim primo excommunicationis judicium ex potestate clavium, a Christo omnibus ecclesiæ Ministris concessa, derivandum esse, *L. 2. Tit. 18. def. 282. n. 11. & def. 284. n. 9. & L. 3. def. 94. n. 14. & passim.* Deinde tuetur, quod antequam talis peccatorum remissio concedatur, opus sit, ut delinquens prius cum ecclesia reconcilietur, veramque pœnitentiam agat, *L. 2. def. 282. n. 11.* Et tandem concedit, quod peccatorum remissio privata pretio haud emi queat, nec debeat. *L. 1. tit. 7. def. 119. n. 3. 4.* Concludo ergo: ergo nec publica. Unusquisque videt, hæc tria non cohærerere. Eadem connexionem destituitur Opinio Carpzovii, qua defendit, ob favorem matrimonii contracti, vel etiamnum contrahendi remitti posse deprecationem publicam. *L. 3. tit. 7. def. 88.* Posito enim illo, quod vere ita est, deprecationem

publicam saltem in illis peccatis locum habere debere, quæ scandalum dederunt, illaque nihil aliud sit, quam publice dati scandalum necessario evitandum & tollendum est, sicut enim illum premit scandali maledictio *Marth. 18.* qui illud dedit; ita & illum premet, qui istud, dum potest, non tollit; scandalum vero tolli posse per matrimonii favorem nemo dixerit. Quando vero opinio Carpzovii illos abusus respicit, quod deprecatio publica de omnibus publicis delictis imponatur, etiam non scandalosis, aut ruinæ spiritualis ansam præbentibus, & civili pœna publice correptis, tunc non tantum largior, remitti illam posse, sed & debere hoc fieri statuo; immo concedo, quod & propter illa peccata, quæ contra ordinationem externam ecclesiasticam fiunt, Consistoria multas pecuniarias dictare possint; ad ipsas causas, ex. gr. daß einer in die armen Casse was gewiss geben sollte; uti sunt peccata, cum quidam ante copulationem sacerdotalem concubuerint. Ubi sane improba est praxis, quod hinc pœnitentia publica, uti hodie est, imponitur; aut enim falsum est, quod desponsati jam coram Deo conjugati sint, aut absurdum, hos contra sextum graviter peccasse; uti consueta est in horum deprecatione ecclesiastica usitata formula. Tandem pro abusu hic pono quod illis qui ultimo supplicio afficiuntur; si quidem delictum scandalosum commiserint, alias vid. *ib. 33.* non imponatur deprecatio publica Carpz. *all. libr. def. 282. n. 1.* Bene enim, inquit ipse, *loc. all. n. 5. dicitur* *Uti & illa* *Uti & illa* *quod ultimo* *supplicio* *afficiendis* *non imponatur.* *Singui oportet crimen publicum & scandalum hoc ipso ecclesie datum.* Illud pertinet ad forum soli & interesse Magistratus; addo ego Reip. hoc autem ad forum poli eatenus, quatenus illius remotione multi ædificantur; & ipsi peccatoris animæ confutur. Quapropter ego existimo nihil ob stare, quo minus etiam peccatores, licet e medio per ultimum supplicium tollantur, ad deprecationem publicam adhortemur, & eandem ab illis exigamus. Siquidem & illa quandoque in loco supplicii a delinquentibus adhuc peragitur *Dedekenn. Conf. Theol. Vol. 1. sect. 3. n. 24.* Sed hic abusus non adeo gravis est, ut excusationem

In conveniens est praxis quod illis b. pœnit. imponatur, qui ante copulationem sacerdotalem concubuerint.
Uti & illa quod ultimo supplicio afficiendis non imponatur.

cusationem non mereatur; uti quidem ille, quod contra expressas leges vid. *Ord. Magd. Eccles. cap. 22. §. 11.* & rationes nihilominus favor personarum apud impios iudices tantus sit, ut juxta illarum respectum in imponenda hac ecclesiastica deprecatione nunquam non procedant, juxta priora. Quem ab usum ita quondam a rustico fuisse exprobratum suo præfecto meminì; dum pileum detrahens eundem ita allocutus fuerit; *Guten Tag Herr Amptmann die kleinen Diebe man hängen thut/ ver den grossen zieht man ab den Hut: wie komts daß Euer Sohn nicht hat mit gekniet/ da er doch zugleich mit U. zucht getrieben?* Sed hoc ludicrum est, quo me proprie ad probationem hic usum esse videri nolo.

Thef. XXXVII.

Quod ad finem hodiernæ sic dictæ pœnitentiæ ecclesiasticæ, & præcedere solitæ excommunicationis attinet; hujus finis merito esse deberet pœnitentiæ impœnitentis, & ut illa per bonos fructus coram omnibus ostendatur; illius vero tanquam in nuda publica deprecatione consistentis, ut scandalum, ecclesiæ datum, tollatur, & pœnitens illius maledictionem effugiat, & hoc ipso multorum promoveat ædificationem. Verum abusus hic circa finem admodum sunt conspicui, qui naturam totius negotii alterant ac penitus everunt. Hodie enim excommunicatio publica sacramentorum illum duntaxat finem habet, ut aliquis, in terrorem, ut dicunt, aliorum pro peccatis, publice commissis, publice in ecclesia se perstringi patiat, quasi præter ceteros peccator esset, & iram Dei solus commerisset; cum tamen in, sic dicto, cœtu fidelium vix centesimus sit, qui non, nisi in majori, in eodem certeluto hæreat. Et quamvis dicatur ab ecclesiæ ministris, finem hic subesse internæ pœnitentiæ peccatoris, experientia tamen deploranda testatur, raro ad eandem respici, sed saltē publici cujusdam ritus, sæpius admodum famosi, perationem in peccatoris publicam prostitutionem exigi. Quis vero non intelligit hunc ab usum esse gravissimum, & charitatis christiænæ regulis prorsus contrarium? Si enim recte comparatus

Abusus circa finem hodiernæ publicæ deprecationis gravissimus sunt

Quid Ministri

ffris ecclesia paratus esset finis deprecationis publicæ; Ministri ecclesiæ an-
circa h. peni- tequam illam peragi permitterent, probe prius ad internam
tentiam, ut peccatoris respicientiam respicerent, non verbis tantum,
hæc ab aliis sed & bonis fructibus, declarandam; nec cum privata qua-
fiat, incum- dam, memoriæ mandata, verbosa peccatorum confessione
bit? contenti essent; siquidem diximus, indictionem publicæ de-
 precationis, (pœnitentiam publicam enim prorsus non ha-
 bemus, juxta tradita in th 35:) ad magistratum externum, seu
 sic dictam ecclesiasticam potestatem hodie pertinere, curam

Sed & hic a-
busus gra-
visimi sunt
conspicui.

vero ejus, ut recte fiat, ad illos solitarie spectare. Sed quis
 nescit inversam praxin, ubi saltem propter S. denarium, ut
 diximus, mercenarii prædicantes ad publicum illum ritum,
 quocumque etiam animo peractum respiciunt; Qui abusus
 non in superiores, sed in illos duntaxat redundat; Sicut &
 ille abusus ab iis committitur, quod exagerent labem pœni-
 tentis & deprecantis peccatoris, cum ipsius opprobrio, &
 hoc facto cum deprecatione publica, solita formula, hunc ac-
 tum concludunt. Cum potius pœnitentem summis laudibus ef-
 ferre & ejusdem respicientiam & publicam illius ostensionem
 omnimodo extollere, illum præ aliis peccatorem non esse o-
 stendere, ceteris vero ecclesiæ membris illud apprime incul-
 care debeant, quod illi æque serua pœnitentia indigeant, nec
 coram Deo aut hominibus se hoc digniores esse sibi falso per-
 suadere velint; cum addito voto sinceræ emendationis Quæ
 si ita observarentur, magis lubenti animo ad deprecationem
 publicam accederent peccatores pœnitentes; cum contra-
 rio hodie propter publicas prostitutiones, & sustinenda op-
 probria mirum non sit, ut plerique peccatores potius duris-
 simas alias civiles pœnas pati mallint, quam hanc ecclesiasti-
 cam severam disciplinam sustinere. Immo effectus tunc quo-
 que magis optatus præsumendus esset multorum videlicet æ-
 dificationis & ipsius pœnitentis salutis; dum hodie ille sal-
 tem nudo quodam ritu & prostitutione publica peccatoris
 absolvatur.

Thef. XXXIX.

Effectus ex-

Quod insuper ad effectum impositæ hodiernæ depre-
 catio-

cationis attinet; ille in eo consistit, ut ad sacramentorum participationem peccator, antequam illam peregerit, non admittatur; moribundo excepto *Ord. Eccles. Magd. cap. 22. §. 22. & §. 28.* neque permittatur, ut ad sacramentum baptismi infantum accedat *ibid. §. 4.* nec ei femina nubere volenti benedictio sacerdotalis dici possit; Excommunicationis vero majoris, quæ in specie banni ecclesiastici nomine venit, effectus *juxta hanc d. Ord.* est, ut præter jam exposita, ejusmodi excommunicato omnis membrorum ecclesiæ familiaritas interdicitur §. 25. ceteris civilibus juribus manentibus §. 26. & si usque ad mortem impoenitens manserit, tanquam scissum ab ecclesiâ membrum ordinaria solenni sepultura non dignetur. §. 30. Et si recte ejusmodi exclusiones decernantur, juxta retro deducta, effectus hi nihil iniqui, aut Christianæ charitatis regulis contrarium in se continerent.

Thef. XXXIX.

Quod modum impositionis & præscriptæ peractionis seu ritus observari solitos concernit; illi in plerisque locis tam absoni, famosi ac severi sunt, ut certe evincant, christianam charitatem ac toties a salvatore nostro requisitum amo rem inter Christianos vix amplius conspicuura esse; nedum quod absurdi ejusmodi ritus eo ducant rudem plebem, ut hic pæfistissent, credentes: per ejusmodi ecclesiæ servitutum se ab omnibus peccatis immunes fieri posse, ad internam seriam pœnitentiam sic raro venientes. Et quamvis supra dixerim, exclusionem publicam a sacramentis cum conditione publice declarandæ pœnitentiæ, vel faciendæ deprecationis, ad jurisdictionem externam pertinere; tamen quando pœnitentes se ad eam peragendam pio affectu componunt, nunc quomodo bene fieri debeat Minister ecclesiæ cogitare debet; & licet proprio ausu in iis, quæ ad observantias ecclesiæ pertinent, nihil immutare queat, si tamen animadverterit, antiquos hic observatos ritus iniquos esse, facile a Consistorio impetrare potest, ut ille ad charitatis regulas reducantur. *Bene enim inquit Ambrosius L. 2. de poenit. cap. ult. cavendum esse, ne*

communicacionis unæ deprecationis hodierna exponuntur juxta Ord. Eccl. Magd.

Ritus hic observari soliti abusibus undique sentent.

R

in

in ipsa poenitentia fiat, quod postea nova indigeat poenitentia. Hoc vero ejusmodi infames ritus operari, nemo dubitat; Si enim quis vere poenitens est, & pio animo scandalum commissum deprecari vult, quid opus est, per ejusmodi barbaros & ignominiosos ritus illum publice prostituere? per illos enim nec ille Deo satisfacere potest, nec scandalum ab ecclesia removeri. Et cum poenitentia publica alias salubris quaedam medicina esse debeat tremefactæ peccatorum conscientiae, nunc & illa ipsa per hæc in poenam civilem commutatur. vid. Kesler. *Theol. Cas. Const. c. 2. add. c. 1. pr. de Sent. & Excomm. in 6.* Qualis enim declaratio poenitentiae est, quando aliquis cum alba scipione seu baculo stare, vel candelam in manibus habere, vel sacco indutus, vel lapidibus onoratus, prostratus jacere, vel in separatum locum, quasi indignus adhuc esset, se recipere debeat, cum tamen si seria sit ejus poenitentia, dignior multis aliis plurimis ecclesiae membris existat: quapropter etiam ejusmodi ritus ad poenas ecclesiae indecentes nobiscum retulit Ziegler. *de Superint. ad norm. Const. Eccles. in Elect. Saxon. descript. cap. 19. §. 5. p. 193.* Qualiter vero illa fieri debeat, cum elatione sc. laudis poenitentis, supra diximus th. 35, Quod vero juxta regulas amoris ritus observari debeant docet ipse Paulus *1. Cor. 5. v. 5. seqq. & 2. Cor. 2. v. 8. seqq.* Cui addi potest locus in *denen Reichs Abschieden de Ao. 1548. tit. 17. von Sacrament der Buße. pag. 429.* Ut adeo, si *ic poenit. sa.* rituum bonitatem & impietatem juxta regulam examinare *ris convenies*, quis velit, charitatem christianam pro norma habere debeat, ut quicquid huic conveniens, christianum; quicquid vero *deber crisi.* contrarium, diabolicum, vel saltem inconveniens judicari *ana charitas.* possit. Sed horum rituum tam inveterata consuetudo est, ut hac publica, omni auctoritate destituta, censura corrigi illos posse præsumi haud queat; & adeo optandum foret; ut principali auctoritate in totum aliquando annullentur & hujus disciplinae saniores regulæ constituantur.

Maximus b.
poenit. abu-

Theol. XL.

Ex his jam dictis, ultimus & maximus abusus quoque do-
ceri

ceri potest, quod scilicet, eo ipso, nostra de poenitentia publica ecclesiastica doctrina gravioribus nævis scateat, quam illa, quæ a pontificiis observatur, & *supr.* examinata fuit. Licet enim hæc multis heterodoxis principiis nitatur, in eo nihilominus nostram antecedit, quod poenitentiam exigat bonis fructibus declarandam, ab hac vero poenitentia recte diem receptionis poenitentis distinguat, illumque pro die summi honoris habeat juxta th. 20. Nostra vero sic dicta publica poenitentia, secundum tradita in th. 34. prorsus non est talis, sed dies saltem receptionis apud nos publicus est. Et si prætendant illius defensores, presbytero tunc, de poenitentia peccatoris, quantum in homine est, de ea judicare, constare debere, antequam ad publicum hunc actum illum admittat, cur quæso ex tali die honoris & gloriæ, diem scandali & maledictionis faciunt? Quo ipso tota hæc disciplina impia redditur: ut optandum sit, illam hoc modo inter Christianos prorsus incognitam esse. Quot enim hypocrites, quot simultates, quot perjuria, quot infanticidia, quot aliorum obrectationes ac infinita mala, ex infami illa poenitentia & ignominiosa ministrorum ecclesiæ peccatoris poenitentis declamatione suboriantur, ac excitentur, illis qui penitentiæ studio ac solidiori prudentia & pietate in foro versati sunt, cum summo animi moerore ignotum esse haud potest. Sed hæc ita in presenti breviter delibata sufficiant; cum forsitan aliquando limatius exhibenda sint. Deo interim cujus assistentia coeptum opus ad finem perductum est grates litamus immortales. Assistet mihi porro Sui Spiritus gratia & omnes actiones meas ad unicam metam ipsius gloriæ dirigat. Et cum de poenitentia hic a me actum sit, faxit Deus O. M. ut nec

sus est, quod dies Poenit. dies scandali esse debeat.

n finita bin riuntur ma

Conclusio.

me poenitentia mea unquam poenitiat,

SOLI DEO GLORIA.

CLARISSIMO DISPUTATIONIS AUCTORI

Salutem plurimam

dicie

SAMUEL STRYKIUS, JC.

EGregium selegisti thema, quo studiorum Tuorum specimen exhiberes publicum: Verum quoniam de Abusu pœnitentiæ ecclesiasticæ Rubricam Tibi formare libuit, vellem ut usum pœnitentiæ in primitiva Ecclesia frequentatæ, ad Statum Ecclesiarum nostrarum reducendum demonstrasses. Est enim hæc communis Theologorum querela, nos cum Evangelii luce disciplinam Ecclesiasticam amisisse & ita peccandi licentiam majorem cætum Christianum invasisse, dum vident, sine censura, Ecclesiæ facta ipsorum, scandalis quam maxime referta, dimitti, & recursum ad absolutionem sacramque cœnam promiscue concedi. Sed procul dubio ipse ex perversa nostrarum Ecclesiarum praxi animadvertisti, nullos promptiores fore ad recipiendam veterem disciplinam Ecclesiasticam, quam plerosque inter Evangelicos. Olim enim qui in Statu pœnitentiæ erant, exire jubebantur sub administrationem sacræ cœnæ. Hodie jussu hoc opus non est, dum audita concione agmine quasi factò ex templo procurrant, & paucissimi remaneant, quise non huic voluntariæ excommunicationi subjiciant. Ab ipsius sacræ cœnæ usu non repelluntur notorie impœnitentes, sed urgentur, ut veniant, & si nihilominus venire nolint, pœnis etiam ad hoc adiguntur, qui ob peccata plane manifesta repellendi erant: Imo si forsitan providi quidam Ecclesiæ Ministri, hos, ne porcis margaritas projiciant, admittere nolint, hi censuram judicii Ecclesiastici incurrunt, & quandoque ab officio suo removentur. E contrario inauditum est apud nos, Ecclesiæ Ministrum eapropter animadversionem incurrisse, quod scortatores, potatores & prostibula publica pro libitu ad facrum hoc epulum admisserit: Sed quod illos ab hoc epulo repulerint, hoc ipsis plerumque pro crimine reputatur. Plura hujus generis hic adduci possent: Verum cum sola gloriemur orthodoxia & Praxin primitivæ Ecclesiæ, præscriptasque a Salva-

Salvatore regulas vitæ morumque odio prosequamur, furdis hic narratur fabula. Laudo itaque Tuam, Clarissime BODINE, industriam, quod varios poenitentia Ecclesiastica nævos, qui in quibusdam Ecclesiis nostratum deprehenduntur, notaveris, & veram poenitentia rationem eruditè ostenderit. Observasti hoc pacto, quod ad Jcti munus fideliter expediendum requisivit Imperator, ut scilicet rerum divinarum humanarumque notitiam tibi comparares, & hac ratione viam ad Rempublicam aliquando in partibus Tibi credendis fideliter administrandam parares. Perge porro Jurisprudentia tam publicæ, quam privatæ & Ecclesiasticæ excolendæ animum applicare, ita enim & Divini Numinis gratiam & Patronorum favorem Tibi conciliabis certissime. Quod ut pro voto Tuo, Venerandique Parentis, Collegæ Honoratissimi, eveniat, ex animo apprecor. Vale. Dab. Halæ Magd. d. 19. Maji. 1707.

Nobilissimo Domino
R E S P O N D E N T I,

Amico tuo amavissimo

S. P. D.

CHRISTIANUS THOMASIUS.

DUm cum laude, sub *Venerandi Patris Tui* præsidio, publice disputas, & *Illi & Tibi* animitus gratulor. *Illi* quidem, de gaudiò perquam svavi & jucundo, quod Parentes merito afficit, dum ipsi testes sunt oculati & auriti, quod cura & industria, in educatione liberorum adhibita, non frustranea fuerit, sed uberes fructus producere incipiat; *Tibi* vero, quod insignis tuæ eruditionis, magna diligentia & multis vigiliis hæcenus acquisita, publicum edas testimonium, & sic applausum, præceptorum pariter & commilitonum tuorum, jure optimo maximo postules. Applaudo igitur & ego, & æque *Excellentissimo patri tuo*, Collegæ meo honoratissimo, ac *Tibimet ipsi*, Juvenis Nobilissime, in posterum etiam, sausta ac felicia quævis ex sincero corde apprecor. Vale, Dabam in Academia Friedericiana, die 8. Mai, Anni 1708.

Præclarissimo Eruditissimoque
DISSERTATIONIS AUCTORI

S. P. D.

JO. SAMUEL STRYKIUS JC.

Nobilissimum sane est, & egregium eruditionis Tuæ specimen, quod edis, optime Bodine, ut non possint non boni omnes Tibi de eo summopere gratulari. Comprobasti hoc documento, spem non vanam fuisse, quam, ob singularem industriam Tuam, & in studio Jurisprudentiæ ardorem indefessum, de Te concepimus: longeque plura adhuc expectari posse in commodum Reip. Certe animum Tuum non ludicris rebus delectari & inutilibus, sed circa ea occupatum esse, quæ in ipsis rerum obtineant argumentis, præfens Dissertationis thema demonstrat. Ostendis, de justitia cujusdam rei non ex usu & vulgata praxi, sed ex veris & genuinis principiis judicandum esse, verique Jcti officium exigere, ut errores communis & abusus notentur, detegantur, ac ita omnis perversa praxis corrigatur. Recte ita premis vestigia Excellentissimi Celeberrimique Parentis Tui, & dignum tanto patre filium Te præstas. Maçte itaque animo, Amice æstimatissime, perge in hoc virtutis stadio, & magnis passibus ad metam propositam festina. Deus vero optimus, summus Justitiæ præses, divina gratia sua omnia cepta Tua secundet! Vale.

Nobilissimo ac præclare Docto
PRÆSENTIS DISSERTATIONIS
AUCTORI

amico suo Honoratissimo.

S. D.

J. E. Schwertfeger.

Facit intima, qua Tibi hæctenus conjunctus fui familiaritas, ut, cum in dubio esset animus loquererne, an tacerem, tandem ingenii Tui dotium minime vulgariam admiratione denuo excitatus, lætitiæ meæ publice declarandæ tem-
pera-

perare haud possem. Animus vero non est, dignis Te ornare laudibus: Tuæ enim Virtuti, quam in Te suspiciunt Viri Illustres & magni nominis, mea non par est oratio, sed ut ostenderem, quanti Te Tuamque, in quam me recepisti, amicitiam facerem, hoc litterularum, animi mei Tibi dati quælecumque testimonium extare volui. Interim non possum, quin Tibi simul de egregio, quod luci publicæ exposuisti, eruditionis specimine ex animo gratuler; Magnopere certe Tui causa lætor, Te feliciter hunc exantlassè laborem; nunquam enim te conveni, quin singularis industriæ Tuæ novam mihi subinde injiceres admirationem. Quantum enim temporis alii quieti aut oblectationibus dare solent, tantum Tu, elaborandæ, eruditissimæ Dissertationi impendisti. Sed non frustra Te sudassè res ipsa loquitur. In juris disciplina jam nunc Te demonstrasti eruditissimum: dubium ergo non est, quin MAGNI PARENTIS graviter in posterum vestigia legens, olim sis conscensurus justa honorum fastigia; Quod ut eveniat, exopto. Vale meque, eruditionem in Te magnis dotibus virtutibusque junctam, uti par est, æstimantem, eo quo cœpisti, affectu complecti persevera. Scrib. Halæ d. 18. Maj. 1708.

NOBILISSIMO DN. CANDIDATO,

Affini suo per quam dilecto.


F. V.

CONRAD HERMANN FUHRMANN,

S. R. Majest. Boruff. Conf. ad Commessiones.

Cum eruditam, proprio Marte conscriptam, edis; de Abusu poenitentiae ecclesiasticae Dissertationem; jure meo Tibi de hoc non vulgari studiorum tuorum specimine gratulor. Sane maxima commolitus es, cum tractationem assumpseris materiae, quæ non solum utriusque juris, divinarum scilicet, & humanarum rerum notitiam, sed & cujusque ævi ecclesiarum & fidelium cœtum historiae accuratissimam cognitionem summopere requirit; proinde non juvenem, qui quatuor saltem annorum spatio, ut Tu Nobilist. Dne Affinis, in studiis, ut ajunt, academicis versatus erat, sed virum doctum h. e. docentem Magistrum, non discipulum

pulum præsupponit : Ut adeo hic fœtus eruditionis Tuæ
nimis præcox mihi videri posset, nisi ex conversatione do-
mestica profectus tuos jam ante nossem. Illud vero quam
maximè in Te suspicio, quod citra omne præjudicium aucto-
ritatis ex genuinis principiis veritatem detegere canatus fueris;
Cæterū miror, quoddam brevi temporis, quatuor videlicet men-
sium spatio, inter plura alia negotia *εργασίαις* suscepta, Dissertationem tuam typis demandatam non solum absolveris, sed
etiam multa selectiora, pertinaci cum industria conquesta, &
Dissertationi scriptæ jamdum mixta allegata, aliasque profun-
das meditationes brevitatis studio rursus rejeceris; ad quod
nova omnino opus erat industria: Ut hoc modo nunc secun-
da vice comprobatum habeam, multum tuos valere humeros
nihilque laboris ferre recusare. Dulci enim hætenus memo-
ria teneo; quod ante lustrum & quantum excurrit, in illustri,
quod Hervordix floret lyceo, sub doctissima directione Viri
Clarissimi et ingentis Polyhistoris M. Thomæ Mulleri, qua-
tuordecim mensium spatio omnem latinam cum potiori-
bus Philosophiæ partibus ita addisceres, ut ad votum Dn. Pa-
rentis cum plurimorum amicorum admiratione in studiis hu-
manioribus satis doctus redires. Plura dicerem nisi modestia Tua
commerito encomio hic limites poneret. Applaudo igitur
tantum Excell. Dn. Patri Tuo, Socero meo æternum vene-
rando, de Te, suo filio non degenerare & maximæ spei juvene;
Mihique ipsi de affini tam docto gratulor. Deus M. O. studia
Tua ulterius dirigat quam felicissime, quo Resp. fructus ube-
riores exinde capiat, splendor familiæ augeatur, propiorumque
ita promoveatur emolumentum, ut nunquam studiorum tuo-
rum Te pœnitere queat. Scrib. Hala d. 16. Maj. Ao. 1708,







Halle, Diss., 1708 A-8

ULB Halle 3
004 530 837



f
sb.





Cr. 4. num. 36. 78

E. C. D.

1708 3a

TRACTATIONEM JURIS ECCLESIASTICI,
DE

**ABUSU POE-
NITENTIAE EC-
CLESIASTICAE,**

P. All
IN FORMA DISSERTATIONIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO;
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENB, CETERA,

SVB MODERAMINE

DN. HENRICI BODEN;
REGIM. ECCLES. REGII IN DUCATU MAGDEB
CONSILIARIUM, AC PROF. PUBL.

*PARENTIS SUI JUGI OBSEQVIO VENERANDI,
Ad diem Mens. Mart.*

Publicæ ac solenni Eruditorum disquisitioni sistit

AUTOR

Friederich Bode.



HALAE MAGDEBYRGICAE,
Typis JOANN. GRVNERI, Acad. Typogr.